



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Liber IV. Tituli Primi. De Sponsalibus & Matrimonio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



LIBER QUARTUS.

TITULUS I.

De Sponsalibus & Matrimonio.

CAPUT I.

De Sponsalium Natura.

Quest. 1. Unde Sponsalium nomen, & quid importet.

R

1. *Resp. Primò: Sponsalia à spondendo dicta, spon- sionem important, Spon- sio vero apud Juris Con- sultos promissionem fa- ctam per stipulationem significat. Barb. h. t. n. 3. citans L. sciendum. ff. de adl. edict. L. sponsio ff. d. P. S. Unde sponsa- lium nomen traductum à more antiquo, quo pu- ellæ nupturæ stipulabantur, seu per stipulationem promittebantur viro ab eis, sub quorum cura & potestate erant. L. 2. de spons. Barb. l. c. licet dein moribus & legibus introductum, ut, dum res hæc est frequentissima, & necessaria ad Reipublicæ conservationem, sponsalia absque tali solemnitate nudis promissionibus viri ac mulieris, etiam per nuncium ac epistolam perficiantur. L. 5. ff. de sponsal.*

2. *Resp. Ad secundum primò: Sponsalia tri- plicem significationem habent. Dum primò mi- nus propriè accipiuntur pro artha, aliisque mune- ribus à viro dari solitis mulieri sibi nupturæ. L. 1. c. Si nuptia. Secundò frequentius pro matrimo- nio rato non consummato, c. fin. de spons. duor. c. qui desponsatam. 27. q. 2. Unde celebrato jam matrimonio tali ante consummationem illius con- trahentes dicuntur habere sponsalia de præsentì, & appellantur desponsati juxta illud Matth. 1. Cum esset desponsata Mater JESU Maria Joseph: cu- jus tamen jam tum uxor erat, uti paulò post eodem textu appellatur. Tertio frequentissimè usitatè- que magis ac propriè pro promissione matrimonii futuri, veluti ejusdem præambula. c. nostrates. 30. q. 5. L. 1. ff. de sponsal. Quamvis plerumque etiam sponsi dicantur, qui matrimonio jam copulati*

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. IV.

illud non consummatunt. Castrop. tr. 18. d. 1. p. 1. n. 2.

3. *Resp. Ad secundum secundò; nomen con- jugis, uxoris, viri seu mariti propriissimè competit quidem iis, qui matrimonium consummarunt. Co- var. p. 1. de sponsal. c. 1. n. 3. nihilominus etiam ii, qui matrimonio juncti, illud non consumma- runt, nuncupari possunt conjuges. Vir, maritus, uxor. Castrop. l. c. n. 3. citatis c. sufficit. c. omnes. 27. q. 2. c. consultationi. c. conjuges. de sponsal. & primum quidem constat ex illo Matth. 1. Noli ti- mere accipere Mariam conjugem tuam. Secundum ex illo Luca. 2. v. 5. Ascendit & Joseph, ut profite- retur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Tertium ex Matth. 1. v. 16. Joseph genuit Joseph, virum Marie. Anverò prædicta nomina compe- tant quoque sponsis de futuro, non ita certum est. Affirmant competere illis quandoque, sed rariùs. Sanch. L. 1. de mat. d. 1. n. 2. Cöinck. d. 21. du. 1. ac ita in favorabilibus sub nomine uxoris & mari- ti comprehendi posse, inferunt iidem cum Gutt. L. 3. 99. can. de mar. c. 1. à n. 5. & aliis arg. L. non sine. c. de bonis que liberis. ubi statutum disponens, ut ea, quæ uxor à marito quoad proprietatem ac- quirat sibi, non patri acquirat, extenditur ad spon- sos de futuro, quod tamen verum esse non posse, ostendit è contra Castrop. l. c. n. 4. ex c. si verò, de sentent. excomm. ubi secundum communem opini- onem ab excommunicatione can si quis suadente. excusatur percussus Clericum turpiter agentem cum matre, sorore, uxore & filia; & tamen hæc dispositio, etsi favorabilis, non extenditur ad Cleri- cum verberantem turpiter agentem cum sponsa de futuro, ut ipsi sancti. Cöinck. Guttier. & si secus sit, & extendatur dicta dispositio, si sit sponsa de præsentè, etsi à marito non cognita, ita ut ea no- mine uxoris comprehendatur. Ubi hoc observan- dum cum Castrop. l. c. & Covar. n. 4. quòd quo- ties dispositio aliqua dubia est, qualiter nomen*

A

sponsi,

sponsi, viri, mariti, uxoris, & conjugis sumendum sit, præsumendum sit, nisi aliud aliunde colligatur, sumptum esse secundum communem & frequentiore usum, ita ut nomen sponsi ad sponfos de futuro conjugio, & nomen mariti & uxoris ad sponfos de præsentem referatur; quia verba statuti, dispositionis, legis semper, quo ad fieri potest, intelligenda sint propriè juxta c. in nostra. de injuriis.

4. Resp. Ad secundum tertio: Matrimonium, conjugium, nuptiæ, etiam hodie idem significant, Barb. l. c. num. 9. spectato etymo nominis in hoc differunt, quod matrimonium dicitur à matris officio circa prolem, nec immerito, dum præcipuus matrimonii finis est proles suscipienda: Barb. l. c. num. 6. Conjugium verò dicitur ab ipso vinculo, in quo consistit formaliter matrimonium. Barb. num. 7. ubi, quod nomen conjugii cæteris sit præstantius, quia substantiam actus petit. Nuptiæ verò (sic dicitur ab obnubendo, dum olim puellæ pudoris gratiâ se obnubarent, seu faciem velarent, dum viro dabantur) significant potiùs ipsam traditionem, quâ sponsa tradebatur viro, & primam contractus matrimonialis executionem continent citra copulam, ut Barb. num. 8. vel etiam ipsam solennitatem, quâ sponsa in domum viri inducebatur, juxta *L. mulierem ff. de ritu nupt.* ut & hodie non tam proprio matrimonii, quod consensu mutuo perficitur, quam pro externa illa solennitate supponunt; ut constat ex dispositione Ecclesiæ, quâ tempore adventus & quadragesimæ prohibentur nuptiæ, id est, pompantiales, non verò ipse matrimonialis contractus, si absque solennitate privatum ex causa instituat. c. 4. de ferus. Engels. b. r. n. 8.

Quæst. 2. Sponsalia qualiter definiantur.

Resp. Rectè illa definiuntur per promissionem futuri matrimonii, consentiunt omnes juxta *L. 5. de sponsal. c. nostrates. 30. q. 5.* Barb. c. num. 4. Tiraq. de contract. connub. gl. 1. num. 19. Sanch. l. 1. de mat. d. 1. num. 7. Verùm, cum hic omnia sunt quædam spectantia ad essentiam sponsalium, nec ea satis comprehendantur in dicta matrimonii futura promissione, explicatiùs definiti possunt sponsalia cum Castrop. num. 5. Tolet. in sum. l. 7. c. 7. Valent. & c. quod sint mutua promissio matrimonii futuri, seu de matrimonio contrahendo, signo aliquo sensibili expressa; quibus aliqui addunt: inter personas de jure habiles. Singulorum terminorum hujus definitionis declarationem sufficientem dabunt quæst. seq.

Quæst. 3. Qualiter promissio debeat esse vera, & non ficta seu simulata, ut sponsalia constituat.

1. Resp. Primò: Promissio constituens sponsalia debet esse vera, & non ficta, seu simulata; quippe quæ promissio non est, sed promissionis fictio, adeoque nullatenus sponsalia constituere potest; quidquid sit de eo, an nihilominus fictè promittens obligetur ad matrimonium contrahendum, de quo mox; illud certum, peccare talem graviter fictè promittendo, & quidem contra justitiam; quia committit mendacium perniciosum in re gravi. Pirh. b. r. n. 4.

2. Resp. Secundò: Promissio exterius facta cum animo promittendi & se obligandi, absque tamen animo implendi id, quod promittitur, nempe contrahendi matrimonii, est vera promissio obligans in conscientia, supposita promissarii acceptance; cum obligatio non nascatur & dependeat ab animo implendi promissum, sed ab animo promittendi & se obligandi; unde jam sufficiens est ad constituenda sponsalia, & verè obligat ad contrahendum matrimonium. Castrop. l. c. p. 2. n. 2. cum communi.

3. Resp. Tertio: Promissio facta exterius seu verbotenus tantum, proferendo verba materialiter absque animo promittendi, seu utendo signis aut verbis in significatione formali, quam habent, non est vera promissio, essentialiter includens obligationem in conscientia, quæ solis verbis non inducitur, sed essentialiter supponit consensum & voluntatem internam; adeoque non sufficit ad constituenda sponsalia, & quod hinc sequitur, non obligatur talis vi sponsalium ad contrahendum matrimonium.

4. Resp. Quarto: Idem est de eo, qui promittit, sine animo tamen se illa promissione obligandi; quanquam, ut bene Castrop. c. num. 2. impossibile sit, aliquem velle seu intendere promissionem, & non habere intentionem se obligandi, vel etiam positivè nolle se obligare; cum de essentia veræ promissionis obligare promittentem ad præstandum. Unde jam infero, &

5. Resp. Quintò: Promittentem hoc tertio & secundo modo matrimonium non tantum non vi sponsalium, sed nullatenus, hoc est, neque ex fidelitate, neque ex justitia obligari ad contrahendum matrimonium; ita Less. de just. c. 18. du. 1. num. 5. Sanch. de mat. l. 1. d. 9. num. 2. Cönninck. d. 21. du. 2. concl. 1. Laym. l. 5. r. 14. p. 1. c. 1. num. 10. contra Vasq. de mat. d. 6. c. 3. num. 27. Pont. l. 1. c. 2. Gutt. l. 3. qq. can. de mat. c. 9. in princ. apud Castrop. l. c. qui tamen & ipse docet, talem, etiamsi non obligetur vi sponsalium, utpote quæ obligationem justitiæ inducunt, obligari tamen ex fidelitate. Verùm probatur responsio; imprimis talis non obligatur ex justitia: jus enim justitiæ non confertur solis verbis, sed voluntate & intentione manifestata, quâ jus, quod quis habet, intendit à se abdicare, & alteri concedere; sed qui non habet intentionem sese obligandi ad quicquam, multoque minus, qui non habet animum promittendi, non intendit transferre jus in alium; esto, pars altera verè promittens intendat in eum transferre, quod ipsa habet, saltem, dum fictè promittens illud non acceptat, sed simulat solum se illud acceptare. Dein neque talem externam promissionem inducere fidelitatis obligationem, ex eo evinci videtur, quod hæc obligatio nascatur ipso jure naturali ex fide alteri data de re illi utili præstanda; quia jus ipsum naturale obligat, ut verum faciat, quod alteri promissit. Jam verò talis alteri verè fidem non dat seu facit, quantumcunque is erroneè putet sibi fidem dari, qui intendit se nullatenus obligare alteri. Item jus naturæ non obligat ad faciendum verum, quod promissit, dum fictè promissit, seu animo non obligandi se ad illud faciendum; quamvis de cætero talis ad evitandum mendacium jure naturæ obligatus erat ad non utendum verbis, quæ animum obligandi significabant, dum hunc non habebat. Unde jam etiam ex eo, quod nemini conce-

concedatur, seu liceat affirmare extrinsecus aliquam propositionem, quin obligetur ad veritatem dicendam, bene quidem intertur, ia nullius quoque potestate (hoc est, morali seu licite exercenda) esse, verbis exterius promittere, & nolle se ex fidelitate obligare ad explenda promissa; nil tamen obstat, quò minus possit utrumque absolute, seu potentia physicà illicite & mentiundo, uti facit fictè promittens.

Quest. 4. Incidens: num igitur deflorans virginem spe matrimonii fictè promissi teneatur eam ducere.

1. **R** Esp. Primò: Dum probabiliter ac prudenter præsumi potest (uti id ex solo excessu divitiarum ac nobilitatis non semper, nisi adsint aliæ in contrarium conjecturæ, præsumi potest, dum multi viri nobiles ac divites foeminis, etiam infimæ notæ, vel ob formæ præstantiam, vel etiam excacati libidine matrimonio copulari cupiunt. Castrop. l. c. num. 3. Ponc. L. 12. de sponsal. c. 2. num. 15.) virginem advertisse deceptionem, aut etiam, ubi ipsa ex circumstantiis facile scire, vel meritò credere poterat, adeoque debebat, neque ex fidelitate, quia nulla fuit promissio aut deceptio; neque ex justitia; quia sic volenti facta non est injuria, tenetur eam ducere, aut quicquam præstare in recompensationem deflorationis. Castrop. l. c. Ponc. num. 16. Sanch. l. c. d. 10. n. 5. Ubi verò virgo deceptionem non advertit, tenetur talis deceptor ad satisfaciendum illi pro damno illato, nimirum vel præstando dotem tantam, ut æque bene nubere possit, ac si deflorata non esset, vel, si nec hac, nec aliâ viæ damnum illud reparare potest, quam ducendo illam, tenetur eam ducere. Laym. Castrop. Cón. d. 22. du. 6. concl. 3.

2. **R** Esp. Secundò: Quin etiam, licet damnum illud alio modo compensari posset, adhuc virgine deflorata sic volente, teneri deceptorem eam ducere; eò quòd copulam non nisi sub conditione matrimonii contrahendi sibi concessam acceptavit; quemadmodum quis obligatus est tradere domum, sub cujus tradendæ conditione pretium accepit & consumpsit; docent, ut ait Castrop. num. 3. cum communi. Sanch. l. c. num. 3. Ponc. L. 12. c. 2. Lessl. l. 2. c. 15. du. 3. Rodriq. Tom. 2. sum. c. 108. concl. 8. Molin. tr. 3. d. 106. num. 4. Valsq. &c. at quoque Castrop. ab hac obligatione non liberari deceptorem ex eo, quòd puella ignorante intenderit, vel etiam protestatus fuerit, se promittere matrimonium fictè sine animo eam ducendi solum ad eam inducendam & decipiendam; eò quòd acceptando copulam tantquam pretium obligationis ducendi illam elegerit potestatem illam, aut etiam voluntatem suam non contrahendi cum illa. Sed & dato, illum non habuisse verè internam illam copulam sub ista conditione; sed tantum acceptasse illam simulando consensum in illam conditionem, quin & positivè in animo excludendo illam, adhuc peccavit contra justitiam, vel hoc ipso non habendo consensum illum in matrimonium, dum altera pars consensit in illud, & tradidit corpus suum ad usum; adeoque jam tenebitur ex justitia determinatè ad matrimonium; cum enim justitia commutativa non contentetur redditione rei æqualis, sed exigit, ut idem omnino, quod debetur, reddatur v. g. equus ablatas, dum is adhuc existat, & reddi po-

R. P. Levr. Jur. Can. Lib. IV.

test, & non sufficiat loco equi reddere pretium; tenebitur talis deceptor præbere ex post eundem illum consensum suum in matrimonium, quem injustè prius subtraxerat, & non satisfaciat loco istius exhibendo quid aliud. Addit etiam ex Sanch. L. 1. d. 5. num. 20. Castrop. quòd in foro externo non obstante illa protestatione (intellige interna; nam si illa foret externa, sive animus ille fictus, & intentio decipiendi fuisset antecederet coram aliis declaratus, accedentibus aliis indiciiis animum fictum probantibus, unà cum juramento de illo habito, secus videtur) compellendus sit eam ducere, adeoque etiam in foro conscientie teneatur; cum forum internum semper conformetur foro externo, quoties non nititur falsæ præsumptioni.

3. Limitatur tamen responsio hæc à Sanch. l. c. n. 4. primò, ut non teneatur deceptor eam ducere, dum ex tali matrimonio magnum scandalum, malusque exitus prudenter timetur; quia quod sine scandalo fieri nequit, peccatum est, ad quod non datur obligatio; & prudens metus mali exitus in casu matrimonii ab uno invito contracti regulariter trahit periculum plurium ex illo secutorum peccatorum. Limitatur secundò, quando deceptor non reperit virginem (qualem se dicebat) sed corruptam; eò quòd in deceptionibus & delictis detur compensatio, modò damnum ex uno non sit majus damno ex parte alterius. Quinimo procedere id ipsum videatur in casu, ubi mulier non decepta dicendo se virginem, sed ipse deflorans suo errore deceptus invenit corruptam, quam virginem putabat; cum hæc sit justa causa etiam dissolvendi sponsalia, & consequenter etiam causa sufficiens, cur is non teneatur eam ducere. Verum in contrarium esse videtur, quòd, si postquam advertit corruptam esse, pergat & absolvat copulam, jam eo ipso actu videatur copulam concessam non nisi sub conditione matrimonii futuri, etiam non curato hoc virginitatis defectu acceptare, seu pergere acceptare; idque etiam si antecederet sic constitutus fuisset, ut copulam non curasset, seu non desiderasset & acceptasset, si scivisset, non esse virginem. Neque his obstat, quòd postmodum actu contrahendo cum ea matrimonium plus ei præstet, quam valeat ea copula, plus valitura, si virgo fuisset; hoc enim sibi adscribat talis deceptor, dum nihilominus in defectu hujus valoris sub conditione pretii excessivi eam acceptavit. Unde verè dicit Engels. ad h. r. num. 13. cum eadem hæc ratio non tantum de virgine, sed etiam in quavis foemina, etiam corrupta, locum habere videatur, esse plures, qui existiment idem juris esse in corrupta, quæ non aliter sui corporis potestatem tali deceptoris fecit, quam sub spe & conditione matrimonii futuri. Quamvis non desint alii non improbabiler sentientes, in corrupta sufficere, si injuria illa illata ei per illam deceptionem, nimirum admittendo concessam copulam animo non implendi id, sub cujus conditione illa concessa, nempe matrimonium) compensetur pecuniâ taxandâ arbitrio prudentis; eò quòd ducere corruptam, ubi nulla vera promissio præcessit, non sit æqualis compensatio copulæ cum ea habitæ, sed notabiliter quid excessivum, nisi tamen, ut addit Engels, sit vidua bonæ famæ, infamiamque ex illa copula contraheret, ob quam aliud matrimonium facile inire non posset; tunc enim valde probabiliter priorem sententiam tenendam esse.

A 2

Quest.

Quaest. 5. An & qualiter promissio constituens sponsalia debeat esse libera.

R Esp. Primo: debere eam esse liberam ea libertate, quae sufficit ad meritum & demeritum; cum sit actus humanus, humanam obligationem inducens. Castrop. l. c. n. 4. Quare si furor, iracundia, ebrietas non adimunt plenam libertatem, obligationem quoque sponsaliorum non impediunt. Citat pro hoc Sanch. L. 1. d. 8. n. 5. Vasq. d. 5. c. 1. Cón. d. 21. du. 2. n. 18. concl. 6. Molin. de gust. d. 267. in princ. Gutt. de mat. c. 7. à n. 5. Verum aliis ista libertas non sufficit, sed requirunt libertatem, & tantam ex parte intellectus advertentiam & deliberationem, quanta requiritur & sufficit ad peccandum mortaliter, id est, plenam, seu talem, qualem viri prudentes in negotiis magni momenti adhibere solent; & non sufficere talem, qualem adhuc habere, solent semi-poti, semi-dormientes, etsi non requiratur plena & matura deliberatio, & omnium circumstantiarum consideratio. Siquidem sponsalia obligant sub peccato mortali; jam verò non omnis libertas sufficiens ad demeritum est plena; cum semiplene advertens ad malitiam, adeoque semiplene liber possit demereri, seu peccare venialiter, etsi non mortaliter. Unde jam etiam licet ebrietas, furor, iracundia, tanta non sit, ut tollat plenè seu omnimodam libertatem, seu solum ex parte, adhuc tamen penitus impediunt obligationem sponsalium, sive nullatenus promissio in illa facta constituit vera sponsalia. Advertendum proinde verba illa: adimere plenam libertatem: æquivoca esse; utique enim semiplena libertas adimit plenam libertatem, hoc est, impedit, quò minus libertas sit plena, seu perfecta; non tamen adimit plenè seu omnem libertatem, sed relinquit semiplenam. Unde jam etiam sequitur, quòd, si quis ante ebrietatem, vel amentiam habuerit intentionem contrahendi sponsalia, seu promittere alicui matrimonium, illa adhuc non contrahat, dum postmodum in ebrietate semiplena promittit matrimonium feminae, etiam plenè deliberatè repromittenti; cum enim obligatio sponsalium ex ipsomet contractu, & non ex voluntate illum celebrandi oriatur, necessario exigit contractum in se liberum, intellige plenè. Cui illationi non obstat primò, quòd cum Sacramenta v. g. Confirmationis Baptismi ab adulto suscipienda sufficiat intentio habitualis, seu præhabita non retractata, validè recipiantur in ebrietate etiam perfecta; nam præterquam quòd ad agendum plus requiratur, quàm ad recipiendum, de essentia seu forma illorum Sacramentorum non est actus suscipientis illa, quemadmodum essentia contractus sponsalitii, vel etiam matrimonialis consistit in volitione contrahentium. Neque etiam obstat, quòd sponsalia valide contrahi possint sub conditione eveniente priùs postmodum in ebrietate vel amentia; nam hac ratione adhuc non contrahuntur in ebrietate, sed extra eam, tamen perfecta & absoluta eorum obligatio suspendatur usque ad eventum conditionis, qua eveniente sive in ebrietate, somno, amentia, sive extra illam, sive scientibus, sive nescientibus contrahentibus, dicta obligatio evadit absolute absque omni alio actu illorum. Castrop. l. c. n. 5.

2. Resp. Secundo: promissio futuri matrimonii facta ex metu gravi cadente in virum constantem nequit constituere sponsalia valida; nam esto, quòd sponsalia inita ex tali metu à jure positivo non irritentur per se & immediatè, ex irritatione tamen matrimonii ob coactionem (quippe ad quòd contrahendum nemo cogi potest per talem metum) & ipsa irrita sunt eo ipso; ne, si per hoc modo coacta sponsalia obligaretur quis, jam eo ipso cogi posset tali metu ad contrahendum matrimonium, ita Castrop. l. c. num. 6. remittens ad seipsum, tr. 2. de peccat. d. 1. p. 9. num. 3. Verumtamen etsi id admittatur communiùs, dum ipsomet metum incussit injustè, negant tamen alii, dum metus illi aliunde incutitur, docentque, sponsalia talia non esse eo ipso invalida, sed valere usque ad sententiam Judicis, sententià Judicis ob hanc vel similes causas rescindantur; aliàmque esse de matrimonio rationem, quòd ideo jure sic statuente ipso facto est nullum, dum per talem metum extorquetur; nimirum quia semel contractum validè nullo modo dissolvi potest; sponsalia verò, etsi valida, & in specie sponsalia per metum talem contracta, etiam juramento confirmata, facile dissolvi possunt per Judicem. Unde jam etiam non sequitur, quòd si quis vi talium sponsalium obligetur ad contrahendum matrimonium, cogi quis possit ad matrimonium validum per metum talem injustè incussum; cum dicta sponsalia rescindi possint ac deberent. teneret autem sequela, si indissolubiliter pergerent obligare.

Quaest. 6. Qualiter hæc promissio debeat esse facta uni determinatæ personæ.

R Esp. Si quis promittat cum una ex pluribus filiabus Titii contrahere matrimonium, etsi harum singula ei repromittant, confurgere nequeunt sponsalia; cum enim matrimonium contrahi nequeat, nisi cum una determinatæ personæ, etiam non potest quis obligari ad illud contrahendum, quousque obligetur ad illud contrahendum cum una determinatæ personæ; quòd vi talis promissionis indeterminatæ non fit; cum vi illius adhuc maneat liber respectu singularium. Cónineck. l. c. num. 4. Pont. L. 12. c. 5. num. 6. Sanch. L. 1. c. 26. num. 7. Castrop. l. c. num. 7. cum communi.

Quaest. 7. An & qualiter dicta promissio debeat extrinsecus manifestari?

R Esp. Promissio purè interna seu mente retenta constituere nequit sponsalia; cum enim ea sint contractus promissorius, utrinque onerosus, & humano modo initus, necesse omnino habent duplici volitione utrinque manifestata perfici, ac proinde constitui in tali promissione, vi cujus pars altera possit & debeat repromittere, quòd impossibile est fieri per promissionem alteri nullatenus manifestatam, & omnino incognitam. Unde etiam in vi sponsaliorum obligari adhuc nequit Titius promittens DEO se ducturum Cajam in uxorem, etiam si DEUS dictam promissionem acceptet; cum

cum ad talem obligationem sponsalitiā inducendam necessarius sit consensus Caje reciprocus, qui ex eo, quod Deus illam promissionem accipit, non ponitur. Neque opponas, posse adhuc absque eo, quod manifestetur promissio, acceptari promissum, vi nimirum generalis acceptationis seu intentionis, quā Caja antecederet dicit: accepto, si quid mihi Titius promiserit. Nam talis acceptatio generalis & indefinita, neque jure positivo, neque jure naturali sufficit ad acqui- rendum jus activum, vi cuius possit obligare quis alterum in commodum suum. Non jure positivo, arg. l. 10. de donat. ubi dicitur: *Si nescit rem, quā apud se est; sibi esse donatam, vel missam non acceperit, donata rei dominus non fit.* Non jure naturali; siquidem jure naturæ non obligor, quod minus utar re mea, quamdiu ea mihi pleno jure subiecta manet; sed actus liberi, quamdiu subsunt secreto naturali, vi cuius ne quidem Angelis, nisi nobis volentibus, cognosci queunt, cuique pleno jure subiecti sunt, non tantum ut possimus eos liberè occultare vel revelare, sed etiam sine ulla violatæ justitiæ vel infidelitatis nota retractare absque ulla alterius voluntate (hoc enim exigit plenum dominium) ac ita eo ipso nullam pariunt justitiæ vel fidelitatis obligationem. Adde, quod, si meo actu merè interno jure naturali constitueretur alteri jus activum, vi cuius obligarer ex stricta justitiā, natura approbaret obligationem, quam approbari non esset consonum naturæ, utpote ignoram omni homini & nullius usûs. Quomodo enim habens generalem illam & conditionatam acceptationem, ignarus factæ à me promissionis posset sibi arrogare jus V. G. itineris per fundum meum? & quomodo ignarus ejus acceptationis potero obligari ad ei resistendum?

Quest. 8. An & qualiter promissio futuri matrimonii intimari absenti debeat, ut acceptari censeatur, & quis nomine ejus acceptare eam possit.

R Esp. Ad primum: Promissio facta absenti, ut ab eo acceptari possit & censeatur, necessariò intimanda ei per epistolam vel nuntium ad hoc specialiter destinatum; ita ut non sufficiat, ut alius tertius promissionem factam promissario declarat; non enim censeatur promittentis voluntas unita voluntati promissarii, nisi per medium ab eo destinatum, neque promittens promissario loqui nisi per medium à se in eum finem assumptum, Sanch. l. 1. d. 6. num. 19. Castrop. l. c. p. 3. num. 4.

R Esp. Ad secundum: Alius, qui ad acceptandum non habet speciale mandatum, nomine absenti puellæ stipulari nequit, ita ut promittens ex hac stipulatione jam obligatus existat, ac si puella jam acceptasset, sed, ut promissio facta absenti animo contrahendi cum ea sponsalia firmitatem habeat, dum nemo adest habens speciale ad acceptandum mandatum, requiritur acceptatio per ipsam absentem præstita, antequam proinde promittens resilire potest; quia ante istam illius acceptationem nulla potest esse repromissio, antequam nulla in promittente nascitur obligatio. Sanch. l. 1. d. 7. n. 32. juncto n. 12. Castrop. l. c. n. 6. Sed neque si liberaliter, & non sub conditione repromissionis promittat quis patri, tutori vel curatori puellæ absenti, se cum ea velle ma-

trimonium contrahere, stipulantibus etiam iisdem pro ea, adhuc non contracturum obligationem neque fidelitatis, neque justitiæ comparatione puellæ, tradit Castrop. l. c. contrarium sentiente Sanch. l. c. n. 36. nimirum quod, esto hac ratione directè se obligaverit patri, tutori &c. facta tamen sit hæc obligatio in favorem filii, eique jus quæsitum. Pro ratione dat Castrop. quod, esto pater, tutor stipulari possit pro filio, si tamen factum cohæreat personæ filii, nec patris interest ea stipulatio, valeat solum quoad filium, non quoad patrem, ut ex Bartol. ad l. quod dicitur. ff. de V. O. ipse Sanch. cit. d. 7. n. 6. jam verò matrimonium, quod promittit se contracturum cum puella, puellæ adhæreat, & nec patris illius nec alterius intersit; cum sit factum personale, non reale; adeoque comparatione puellæ (quippe quæ existimare posset illam promissionem sibi non esse utilem) ante acceptationem ab ea factam valere nequit.

Quest. 9. Num igitur promissio futuri matrimonii etiam manifestata Caje nullatenus Titium promittentem citra acceptationem Caje obliget?

R Esp. Affirmativè; ad omnem enim promissionem, ut vi illius obligetur promittens, acceptatio illius requiritur necessariò, si non tanquam constitutivum illius intrinsecum, saltem tanquam complementum & conditio sine qua non habet promissio vim obligandi, neque naturaliter, hoc est, in conscientiam dependenter à lege humana concedente promissario actionem contra promittentem, multoque minus civiliter, hoc est, ita ut jure sic statuente concedatur promissario quoque actio contra promittentem in foro externo, quippe quæ semper, quamdiu acceptata non est, revocari potest absque eo, quod quicquam agatur contra veritatem aut etiam fidelitatem; cum semper sic sit conditionata: si alter velit: nimirum acceptare jus ei à me oblatum; aut etiam contra justitiā seu jus quæsitum per talem promissionem alteri; cum jus nullum in alterum transferri queat eo ignorante seu non volente, Castrop. l. c. Proceditque id ipsum, etiamsi promissioni internæ adjiciatur juramentum. Nam si talis promissio non obliget in vi promissionis, antequam acceptetur, neque hoc juramentum obligabit, utpote merè accessorium promissioni, cujus proinde naturam sequitur; adeoque sicut hæc promissio, ita & hoc juramentum imbibit dictam conditionem; si à promissario fuerit acceptata. Sanch. de Sponsal. d. 7. n. 24. & 25. Gutt. de mat. c. 6. n. 26. Secus tamen est de juramento per se stante de contrahendo matrimonio, quod etiam non stante promissione obligabit, Gobat. Th. experim. rr. 10. num. 21.

R Esp. Neque opponas primò: Promissio matrimonii facta infanti revocari nequit, quousque infans veniat ad ætatem, in qua aptus est acceptare promissionem, Arg. l. jubemus. c. de emancip. liberor. Ergo hæc obligatio potest absque eo, quod innotescat alteri, aut ab eo acceptetur. Nam Castrop. l. c. Cón. d. 22. du. 6. num. 26. & alii negant absolutè antecedens contra Sanch. d. 6. num. 29. Gutt. l. c. num. 11. nullatenus obstante cit. leg. dum pater, etiam invito filio, multò-

multòque magis eo infcio, eum emancipare possit, renunciando juri, quod habet in filium privilegio juris positivi, & sic eum liberando ab obligatione, quam in filio fundat jus illud; dum ad jus dimittendum & amittendum minùs requiritur, nimirum sola voluntas habentis illud, quàm ad jus acquirendum; quemadmodum etiam ex eo, quòd debitor irrevocabiliter acquirit libertatem à debito, etiam antecederet ad acceptationem suam ex sola voluntate creditoris liberaliter remittentis illud, non sequitur, promissarium irrevocabiliter acquirere jus ad promissum etiam ante acceptationem suam ex tota voluntate promittentis, dum, uti jus in uno, & debitum definit in altero, sufficiat voluntas unius, nimirum habentis jus; ut verò jus habitum ab alio transferatur ad alium, non sufficiat voluntas habentis illud, sed requiratur quoque voluntas translatarii. Neque opponas secundò: textum *c. veniens, qui clericus vel vocentes* ubi promissio facta absenti statuitur valida absque ulla facta acceptationis mentione; nam ibi factam acceptationem per interpositam personam, quæ ad hoc mandatum habeat, tradit *ibidem. Gl. v. promissit.* Jo-And. Host. & Anchar. *ibidem.* Castrop. *l. c.* cum aliàs, ut Barb. *in cit. c. veniens. n. 3.* promissio absenti facta, nullo pro eo acceptante, sit revocabilis in utroque foro ante acceptationem. Dum enim dicitur, ex promissione non nasci obligationem nisi accedat ejus acceptatio, debet intelligi de acceptatione promissarii vel alterius, qui ejus nomine aut stipulari, aut acceptare legitime possit. Neque opponas tertio: dari quasdam pollicitationes privilegiatas, quales sunt, quæ juramento firmata factæ Ecclesiæ, hospitali vel alteri causæ piæ, quæ absque omni acceptatione obligent. Nam negatur hoc ipsum, nimirum illas obligare naturaliter etiam juris privilegio ante acceptationem; cum nec jure naturali, neque humano talis favor seu vis obligandi iis concessa reperitur. Laym. *Th. mor. l. 3. tr. 4. c. 1. num. 3.* Less. *de just. l. 2. c. 18. du. 2. num. 38.* Pirh. *ad tit. de pactis. §. 1. num. 2.* Sed etsi hic nulla alia acceptatio intercedat vice hominis, saltem intercedit acceptio tacita seu ficta juris, seu inducta dispositione juris ejusmodi promissiones recipientis causâ boni communis. Proinde nec tales promissiones obligant prout supponunt pro nudo actu promittentis, sed pro ut conjunctæ, seu prout subsistant illi juris dispositioni.

Quest. 10 Num vice versa, ut promissio obliget, acceptatio illius debeat esse manifestata promittenti, & an & qualiter ad constituendum sponsalia requiratur promissio mutua.

1. **R**ESP. Ad primum; Dum promissio facta sub onere, ut promissarius repromittat (qualis necessariò requiritur ad sponsalia) exigitur repromissio, adeòque & acceptatio promissionis facta à promissario manifestata quoque esse debet promittenti; non enim aliàs repromissionem, utpote sibi incognitam acceptare poterit. Secus est, si ve acceptationem hanc innotescere necesse non est promittenti matrimonium omnino gratis animo non contrahendi sponsalia seu fidem præstandi alteri omnino independenter ab ejus repromissione, Castrop. *loc. cit. num. 5.* Sanch. *l. 1.*

d. 7. num. 35. Sed de hoc mox pluribus. Unde de fit

2. **R**ESP. Requiritur promissionem mutuam, cum communi, & juxta *l. 1. ff. de sponsal.* docent Sanch. *l. 1. d. 5.* Valq. *de mat. d. 4. c. 3.* Molin. *tr. 2. d. 263.* Castrop. *loc. cit. p. 2. num. 9.* cum enim actiones non operentur ultra agentium intentionem; *c. fin. de præb.* & promittens matrimonium animo contrahendi sponsalia non intendat promittere nisi sub conditione repromissionis, hac non existente, nullam contrahit obligationem. Tametsi autem gratis omnino ac liberaliter facta promissio puellæ, eam acceptanti absque eo, quòd vicissim se promittenti obliget, sponsalia non constituat; parit tamen in promittente obligationem eam ducendi, quamdiu illa eam non remittit, Sanch. *l. 1. d. 5. num. 12.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. num. 2.* Gutt. *de mat. c. 5. à n. 1.* Castrop. *l. c. n. 11.* contra Pont. *l. 12. c. 4. num. 2.* Valq. *d. 4. c. 3.* licet enim matrimonium sit contractus mutuus, ita ut non possit quis se alteri tradere, quin ipsa se tradat illi; sicut non potest venditio equi celebrari; quin emptor concedat pretium; potest tamen obligari ad matrimonium contrahendum cum Caja, quin ipsa se ei obliget aut obligata existat etiam post acceptationem promissionis ad contrahendum matrimonium cum eo, seu ad ducendum illum. Sicut potest quis se obligare ad vendendum equum absque eo, quòd alter acceptans hanc illius obligationem teneatur eum emere. Hoc quidem verum est (quod est fundamentum contrariæ sententiæ) obligationem taliter promittentis non esse, ad donandum corpus suum, sed ad mutuum, puellamque acceptantem illam promissionem, seu obligationem acceptare mutationem; sed quia illam acceptat non imponendo sibi obligationem, sed retinendo libertatem, ut mutationem præstet & matrimonium celebret, quando sibi placuerit, ea de causâ obligata non est illi gratis promittenti, etsi is illi sit obligatus. Sed neque ex eo, quòd puella acceptet talem simplicem promissionem, censetur repromittere. Sanch. Laym. Gutt. *ll. cit.* Castrop. *p. 3. num. 8.* contra Valq. Pont. *ll. cit.* Siquidem puella hac ratione non acceptat, ex sua parte matrimonium absolute contrahendum, sed fidem, quam promittens ei præstat de matrimonio contrahendo, ubi ipsa voluerit; adeòque vi talis acceptationis non repromittit, utpote ad quam repromissionem necessarium est, ut ipse acceptet absolute matrimonium futurum. Unde licet promissor se ei in matrimonium tradere nequeat, quin & se tradat illi, & consequenter ista non potest velle absolute illius traditionem, quin & absolute velit suam traditionem, poterit tamen absolute velle illius obligationem, & fidem ad dictam traditionem sibi faciendam, ubi sibi placuerit, si ve potest absolute velle jus sibi quæsitum ex illius promissione ad exigendam ab eo illam traditionem absque eo, quòd obligata sit ad illam traditionem ab eo exigendam.

3. Illud hic observandum, quòd, cum rarò contingat futurum matrimonium promitti absolute ac merè liberaliter; sed plerumque ac regulariter sub onere repromissionis (nisi aliunde constet de tali gratuita voluntate promittentis) merito præsum, fieri eam sub illa conditione voluntatem restringente, adeòque talis promissionis accepta-

acceptationem esse tacitam repromissionem; cum in dubiis præsumendum sit, quod communiter fit. De cætero acceptans sine repromissione, ne censetur promittentis animum contemnere, vel jus ex acceptata illius promissione quæsitum remittere, non debet nimium differre exactationem illius, sed vel repromittere, vel declarare, quod non cupiat promissionis executionem. Krimer. cum communi.

Quæst. II. Num mutua illa promissio facta clandestinè constituat sponsalia valida & licita.

1. Resp. Ad primum: Promissio sic facta seu sponsalia etiam celebrata inter solos contrahentes sine præsentia parochi & testium, vel etiam cujuscunque alterius, sunt valida. Sanch. l. 1. d. 13. Gutt. de mat. c. 4. à n. 1. Pont. l. 12. c. 5. num. 6. Castrop. l. c. p. 2. n. 15. Pirh. h. t. n. 26. Barb. ad Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Reiffenst. h. t. n. 22. contra Seguram & paucos alios apud Castrop. l. c. siquidem talis contractus sponsalitiis irritus non est jure naturali, ut per se constat; neque ullo alio jure positivo. Nam Trid. l. c. irritans contractum matrimoniale seu matrimonium sic contractum, & vel sic corrigens & derogans juri communi, vi cujus matrimonium tale valebat, nullam mentionem facit, de sponsalibus; ergo ea in ista dispositione sunt omissa seu præterita, adeoque nullatenus cadentia sub illo decreto Tridenti. irritante sponsalia de præsentè clandestinè celebrata relinquuntur dispositioni juris communis, vi cujus à fortiore valent sponsalia clandestina, cum etiam vi illius, ut dictum, valuerint & valeant matrimonia clandestina.

2. Resp. Ad secundum: Neque etiam per se loquendo sponsalia clandestinè celebrata sunt illicita, AA. cit. cum communi contra Sylv. Armill. Cajet. &c. apud Castrop. l. c. nullo enim jure nec antiquo nec novo sunt prohibita. Quod autem ex clandestinis sponsalibus oriantur quandoque aliqua inconvenientia, non probat esse per se illicita, sed solum consultius esse, ut testes adhibeantur, etiam ad hoc, ut eis in foro externo fides adhibeatur. Ad illud, quod objici solet, nimirum prohibito matrimonio prohibentur quoque sponsalia; ergo prohibito matrimonio clandestino, prohibentur quoque sponsalia clandestina: negatur sequela; nam licet prohibito absolute matrimonio, quocunque demum modo illud contrahatur, prohibeantur quoque sponsalia absolute, utpote quæ via sunt ad matrimonium, & non contrahuntur nisi ratione matrimonii futuri, quod proinde si illicitum, sponsalia forent promissio rei illicitæ & sic nulla; non tamen inde sequitur, quod prohibito non absolute matrimonio, sed solum, ne tali modo, nimirum clam contrahatur, prohibeantur quoque sponsalia sic contrahi; cum sponsalia clandestina non sint via ad matrimonium clandestinum; non enim clandestinè ea contrahentes promittunt sibi aut obligant se ad matrimonium clam sic contrahendum, sed eo modo, quod permittit Ecclesia; adeoque talia sponsalia sunt promissio rei licitæ, & consequenter valida & licita. Textus quoque in contrarium adduci soliti ex l. oratio. ff. de sponsal. l. si quis tutor. ff. de rit. nupt. eodem modo intelligendi de casu, in quo matrimonium prohibetur absolu-

tè, sive ut nullo modo contrahatur, vel quando est eadem ratio prohibitionis matrimonii & sponsalium, quæ eadem ratio non est in præsentè, dum matrimonium clandestinum prohibetur ad vitandum concubinatum, cum secunda uxore putatitia, ad quam quippe publicè ductam cogebat Ecclesia inficia matrimonii prioris clam contracti; validè tamen, intellige, ante dictam prohibitionem; quod locum non habet in sponsalibus clandestinis, quibus non obstantibus, matrimonium subsequens cum alia est validum.

Quæst. 12. Num sponsalia celebrata sine scitu & consensu parentum aut eorum, qui contrahentibus sunt loco parentum, sint valida, vel etiam licita.

1. Resp. Ad primum: Affirmativè, argumento imprimis desumpto ex Trid. sess. 24. c. 1. ubi, quod matrimonia à filiis familias contracta sine consensu parentum vera sint & rata, & affirmatio in contrarium, nimirum quod sint irrita, vel quod parentes ea rata vel irrita facere possint, falsa dicitur; ergo idem dicendum de sponsalibus, quod non dependeant à consensu parentum. Secundò arg. c. cum virum. h. t. ubi, quod puella in matrimonio spirituali seu susceptione status religiosi in ætate jam nubili constituta (quia liberum habet arbitrium) in electione propositi sequi parentum non cogatur voluntatem. Unde dum Canones quidam videntur requirere consensum parentum, intelligendi sunt de debito honestatis; siquidem naturalis ratio suadet in nuptiis filiorum habendam rationem parentum aut aliorum, in quorum sunt potestate, non tamen id præcipit absolute sub irritatione nuptiarum. Vel etiam Canones V. G. c. alter. 30. q. 1. c. nostrates. 3. q. 1. respiciunt istiusmodi consensum eorum, in quorum potestate sunt sponsi ad hoc, ut eorum pacta nuptialia sint solemnia, intellige solemnitate accidentali, non spectante de cætero ad substantiam illorum. Quemadmodum etiam in jure antiquo vera & valida matrimonia erant in duplici casu, nimirum quædam appellabantur solemnia, utpote celebrata cum solemnitatibus; qualia erant, ut fœmina prius peteretur ab his, qui supra illam dominationem vel custodiam habebant, & à parentibus & proquinioribus sponsaretur, & suo tempore sacerdotaliter cum pluribus & oblationibus à Sacerdote benediceretur, & à paranympis custodiretur &c. Alia non solemnia, quæ appellabantur legitima, eò quod facta secundum præscripta legum etiam quò ad circumstantias substantiæ matrimonii extrinsecas. Alia non legitima, quòd licet essent in substantia vera matrimonia, tamen deficerent in circumstantiis lege præscriptis; de quo vide Pontium l. 7. de mat. c. 57. à num. 6. Juri verò civili quò ad validitatem nuptiarum (cum sit materia spiritualis) locus non est; quin & legibus hujusmodi, V. G. l. 7. ff. de rit. nupt. & l. 7. ff. de sponsal. exigentibus hujusmodi consensum derogatum per Jus Canonicum teste Bellarm. de mat. c. 19. & 20. apud Sanch. l. 4. d. 22. n. 3.

2. Resp. Ad secundum: Neque sponsalia facta inficiis vel etiam invitis parentibus regulariter loquendo sunt peccatum. Henriq. l. 1. de mat. c. 13. n. 13. & alii, Filius siquidem quò ad contrahendum matri-

matrimonium est liber, sui juris, & parentibus non subditus. Secundum D. Thom. 2. 2. q. 104. a. 5. in corp. & in 4. dist. 29. q. unic. a. 4. ergo in hoc transgrediens præceptum parentum, utpote non obligans eum, non peccat. Probatur etiam ex eo, quòd *in c. nostrates*, ubi memoratæ solennitates præscribuntur, & inter eas petitio consensus parentum. Diciturque: *hec sunt pacta conjugiorum solennia*: & dein subiungitur: *peccatum autem esse, si hac cuncta in nuptiali fadere non interveniant, non dicimus*. Ergo sine illis licet fiebant pacta nuptiarum non solennia; adeoque citra culpam inter cætera omitti potest petitio illa consensus parentum. Quod obmoveretur in contrarium, nempe quòd filius in contrahendis sponsalibus & ineundo matrimonio dependeat à voluntate & consensu parentum, illud est, quòd *c. 1. de despons. impub.* Honorius Papa in casu sponsalium à parente celebratorum nomine filii impuberis rescribit in hæc verba: *Potest autem filium nondum adultum (voluntas cuius discerni non potest) pater, cui vult matrimonio tradere, & postquam filius venit ad perfectam ætatem, omnino debet hoc implere*. Ubi verbum *debet* videtur ex natura sua importare necessitatem & præceptum, ut *Gl. in c. proposuit. v. non debet*. Quin & verbum: *Omnino debet*, videtur importare præcisam necessitatem. Verùm his non obstantibus, ad hoc respondetur, filium jam aliàs determinatum ad in eundum statum conjugalem non teneri ad implenda sponsalia, quæ pater illius promittit aut præcipit; idem suadet libertas naturalis, quam habet filius in electione personæ, cui semel electa perpetuò convivere debet; item experientia, quæ constat gravissima oriri ordinariè mala ex infautis talibus nuptiis, quas filii imperio parentum, cum hac vel illa persona, ad quam affectum non habent, amplecti coguntur, idem à potiore urget, ubi filius determinatus est ad statum oppositum conjugati, cum, ut dictum, liberi in electione status non subsint positivo parentum imperio. Unde etiam parentes, secluso casu necessitatis & indigentia, cui alia ratione succurrere nequiret filius, quam ineundo matrimonium cum hac vel ista persona, injustè prohibent aut impediant filium in usu libertatis à natura illi concessæ, ad libere subeundam gravissimam matrimonii servitutem; quin & peccarent graviter, si filium justè renuentem in hoc matrimonii negotio obsequi asperius tractarent, vel plus æquo negligendo vel opprimendo tandem compellerent ad obsequendum sibi. Quapropter jam licet verbum *debet*, quo utitur *cit. canon.* præsertim conjunctum verbo

omnino regulariter importet præceptum. Barb. de dictionib. v. *debet. n. 2. & v. omnino n. 14.* interpretationem tamen congruam recipere debet à jure communi, ut idem Barb. v. *omnino. num. 18.* & ex subjecta materia, nimirum quòd quandoque importet solum debitum honestatis & decentiæ, non necessitatis & præcepti, licet si conjugatur verbum *omnino*, ut Idem v. *debet. n. 6.* in præsentem autem casu materia est matrimonium, quod jura volunt gaudere plena libertate, & immune esse ab omni necessitate, præsertim injustè imposita. Nihilominus adhuc peccabit filius, si cessante justà causâ non implendo hac in re voluntatem parentum, insciis iis, & ne quidem petito eorum consilio, contrahat matrimonium, adeoque etiam sponsalia, quia hæc continent obligationem contrahendi matrimonium. Sanch. l. 7. d. 23. n. 9. Suadet enim idipsum debita parentibus à filiis pietas & reverentia, ut in negotio tam gravi, si justissima in contrarium non obstat ratio, obsequantur votis parentum, aut saltem consilium eorum expectant; quin & secus faciendo in re gravi lædatur jus parentum, dum, qui onus habent habendi curam liberorum, illisque providendi etiam de nuptiis, habeant quoque jus exigendi, ut liberi iis in hoc negotio pareant, vel saltem per petitionem consilii honorentur. Illudque & plus non voluit Leo Papa in *c. qualiter. 30. q. 5.* dicendo, non esse virginalis pudoris maritum eligere, sed judicium parentum expectare; & Evaristus in *c. aliter. 30. q. 5.* pro nupta non habeatur puella, quam pater non desponsat. Non enim petendo consilium, ad quod tenentur, tenentur illud sequi, ubi rationem in contrarium habent æquam; adeoque ex eo præcisè capite, quòd parentibus invititis contrahant, non peccant, ut Sanch. l. c. n. 10. neque enim tunc agitur contra reverentiam parentibus debitam; neque (seclusis aliis titulis V. G. infamia) læditur jus eorum à filiis per sponsalia, vel matrimonium contractum illis priùs consultis (ad quod tantum se extendit eorum jus & debita reverentia) licet invititis; dum in his, quæ ad proprii corporis sustentationem & prolis generationem pertinent, omnes sunt æquales, & suis parentibus non subijciuntur, ut D. Thom. l. c. neque tamen etiam propterea petitio illa consilii inutilis est; cum eo petito à parentibus plura proponi possint, quibus auditis & expensis, sponsalia utiliter declinare, aut inita justè rescindere possint. Plura de his infra, ubi ex professo eadem materia examinabitur circa matrimonium celebratum citra consensum parentum.

CAPUT II.

De verbis aliisque signis & factis, quibus sponsalia contrahi possunt & solent, contractaque in foro externo præsumi debeant.

Quæst. 13. An & qualiter per verba contrahi possint aut debeant sponsalia.

R Esp. Primò: Tametsi verba inter alia signa, quibus consensus internus seu promissio futuri matrimonii mutua manifestatur, ac ita contrahuntur sponsalia, sint præcipuum seu principatum teneant, ut

Pith. h. t. n. 13. ex Covar. in epit. l. 4. decret. p. 2. c. 4. in princ. n. 1. ita ut ex verbis probatio sit certior, quam quæ fit aliis signis, ad valorem tamen contractus, & in specie sponsalium & matrimonii, ut per ea consensus internus manifestetur, non sunt determinatè necessariæ, etiam in iis, qui loqui possunt; sed sufficiunt signa qualibet, modò apta sint secundum communem loquendi modum & cir-

& circumstantias, ad exprimendum consensum mutuum de contrahendo matrimonio; Pirh. l. c. num. 7. cum communi, arg. c. tua. & c. cum ad sedem. h. t. ubi, quod Surdi & muti possint contrahere matrimonium, per consensum mutuum sine verbis, adeoque multo magis sponsalia. Unde iam inferitur, quod, qui loqui possunt, saltem ex natura rei seu de jure naturæ, non teneantur consensum suum exprimere per verba, ut valeant sponsalia.

2. Resp. Secundò: Nihilominus, licet verba necessaria non sint ad contrahendum matrimonium aut etiam sponsalia, videntur tamen necessaria ex præcepto Ecclesiæ saltem in iis, qui loqui possunt. Arg. c. tua. h. t. ubi: *Necessaria sunt, quantum ad Ecclesiæ verba. & c. licet de sponsa duor.* ubi: *Si inter virum & mulierem legitimus consensus interueniat*, ita ut unus alterum consultis verbis recipiat &c. obtinente sic passim consuetudine Ecclesiæ, non tolerantis, ut Pirh. n. 14. ut, qui loqui possunt, solis signis aut nutibus contrahant matrimonium; & quod hic dicitur de matrimonio de præsentē, idem quoque locum habere in promissione matrimonii futuri sive sponsalibus. Verum ne quidem de matrimonio sic celebrando per verba nullum extare præceptum Ecclesiæ, affirmat Sanch. l. 2. de matrim. d. 31. n. 10. apud Pirh. tametsi ut Idem, fateatur esse peccatum grave non exprimere in hoc contractu matrimonii consensum verbis, utpote per quæ melius & clarius exprimitur quam per signa. Sed, si non existat de hoc præceptum Ecclesiæ, neque etiam ullum præceptum naturale, quomodo peccatur per hoc graviter? nisi fortè utendo liberè signis dubiis, quæ postea sint occasio multarum litium. Unde & in citatis textibus verba dicuntur necessaria, non tam quò ad contrahendum in se matrimonium, quam quò ad Ecclesiæ, nimirum ut ei constet de mutuo consensu, & is melius tutius & facilius probari possit in foro externo Ecclesiæ, & vel sic caveantur & rectius dirimantur lites in causis matrimonialibus. Porro per verba hic non intelliguntur solum illa, quæ voce articulata proferuntur, sed & quæ scripto seu per literas vel numeros & procuratores deferuntur quasi per instrumenta.

Quest. 14. Per quæ verba censentur valide contrahi sponsalia.

1. Resp. Primò: Cum ferè innumera sint verborum formæ, de quibus merito ambigitur, num verè contractum sponsalium denotent seu exprimant, vel potius voluntatem & promissionem conditionatam, aut etiam solum propositum contrahendi sponsalia; in genere hac in re nihil statui potest. Unde pauca, quæ mox subiunguntur veluti communiùs solita ab AA. examinari, servient solum exempli gratià, ut inde de aliis faciliùs iudicium ferri possit. Prænotanda nihilominus hic veniunt duo; primum, dum verba sunt dubia, in foro conscientiæ standum intentioni contrahentium, si de ea constet, cum verba habeant vim obligandi ab interna voluntate & consensu; in foro tamen externo non stari intentioni contrahentium; cum ea lateat Ecclesiæ, sed communi & recepto verborum sensui, quem verba communiter rectè intelligentibus ingerere solent, Sanch. l. 1. d. 18. num. 1. & 4. Secundum, verba (idem est de factis) quæ de se

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

seu se solis sunt indifferentia, vel saltem non sufficienter significant promissionem de futuro matrimonio, determinari tamen ad illam significantam posse vel ex usu apud talem gentem, vel ex aliis circumstantiis præviis vel concomitantibus, in quibus ea hic & nunc proferuntur & fiunt. Porro quæ hic dicuntur de verbis ore prolatis, proportionatè quoque intelligenda de literis.

2. Resp. Secundò: Verba illa: *Nullam aliam ducam nisi te*; significare absolutam promissionem futuri matrimonii, volunt aliqui unum eundemque sensum habere, quam habent hæc: *Ducam te, & non aliam*: sive: *Ducam te & nullam aliam*. Quemadmodum hæc propositio: *Non dabitur ei signum nisi fone Propheta. Luc. 11.* Sic resolvitur: *Dabitur ei signum fone, & nullum aliud*. Item quemadmodum illa propositio: *Nullus homo currit, nisi Petrus*: Secundum regulas dialecticas sic resolvenda est: *Petrus currit, & nullus alius currit*; & consequenter secundum hos AA. dicta verba important vera sponsalia, dum altera pars repromittit. E contra sentiunt alii, Sanch. l. 1. d. 19. n. 5; Laym. l. 1. tum tr. 10. p. 1. c. 1. Castrop. l. c. p. 2. num. 13. Pirh. h. t. num. 7. per dicta verba non importari sponsalia, sed ad summum hanc promissionem conditionatam: *Si aliam quam sum ducturus, ducam te*; vi cuius promittens non magis obligatur contrahere matrimonium, quam Titius dicens: *Nulli alteri quam tibi vendam meum equum*, teneatur vendere suum equum. Quod ipsum probatur hac ratione: dum in dubio est obligatio, eo ipso non est obligatio; cum etiam legi negetur obligatio, quamdiu ejus existentia vel extensio est ambigua; imò quando non est moraliter certa. Quod si tamen vellet inire matrimonium, vi dictæ promissionis conditionatæ teneretur ad hanc determinatè ducendam. Unde etiam si aliunde sive ex aliis conjecturis constet, habere taliter promittentem certum animum ineundi matrimonium, absolute & simpliciter obligari illum ad ducendam illam, ait Pirh. l. c. ex Laym. l. c. c. 1. num. 2. ac consequenter consurgunt formalia & absoluta sponsalia, si mulier pari modo habens animum determinatum nubendi, dicat vice versa taliter promittenti: si aliquem sum ductura, ducam te.

3. Resp. Tertio: Verba hæc: *Volo te ducere*: placet tecum contrahere; significare sponsalia, censet Sanch. l. 1. d. 18. num. 24. E contra placet aliis, significari per ea solum propositum contrahendi sponsalia. Hinc Hurtad. de Mendoza l. 1. de mat. diff. 13. num. 54. docet, ex iis verbis secundum se prolatis (secus foret, si jam præcessisset tractatus de matrimonio contrahendo) in foro judiciali iudicatum iri, nihil actum esse. Idem de his verbis: *Mea eris; volo te habere in uxorem*; iudicant alii, nimirum continere illa solum propositum nubendi.

4. Resp. Quarto: Verba hæc: *Contraham tecum matrimonium*: Tambur. l. 8. de mat. tr. 3. c. 2 §. 3. num. 7. vult esse certum signum promissionis matrimonii de futuro. Sanch. putat, non quidem expressè, implicitè tamen ex communissimo usu continere ea dictam promissionem. Tanner. verò d. 8. q. num. 10. tenet significari per ea solum propositum contrahendi matrimonium; per verba verò illa: *Accipio te in uxorem in crastinum*: Sanch. l. c. n. 29. putat significari solum matrimonium. Perez. d. 4. f. 2. censet significari consensum in matrimonium de præsentē, sed

suspensum in diem crastinum, ac si diceretur; ego nunc consentio, ut cras sim vir tuus. Unde vides, quanta ex similibus verbis dubiis & obscuris (quorum plures formulas vide apud Tambur. l. c.) in diversis sensibus à DD. acceptis nascatur seges litium.

Quæst. 15. An & qualiter taciturnitas sit signum sufficiens interioris consensûs, ac ita vi illius contrahantur valida sponsalia.

1. Resp. Primò: Taciturnitas præcisè non est signum sufficiens interni consensûs; non enim puella censenda est repromittere seu consentire in repromissionem matrimonii ex eo, quòd dum quis illi matrimonium promittit, ista taceat. Castrop. l. c. p. 4. n. 11. nam esto, quòd quis tacendo consentire censeatur in iis, quæ sunt ei utilia; secus tamen est in iis, quæ præjudicabilia esse possunt. Menoch. de præsumpt. l. 3. præsumpt. 42. n. 4. Dinus in reg. is quitacet. de reg. in 6. num. 3. Bald. in l. si sine. num. 4. c. ad Senat. Consult. Vellejan. cum Gl. in l. filius famil. v. non probatur. ff. de procur. apud Castrop. l. c.

2. Resp. Secundò: Dum pater in præsentia filii sui nomine ejus contrahit sponsalia cum puella, filius tacens & non contradicens hoc ipso censetur consentire, pro ut expressè deciditur. c. unico §. fin. de despons. impub. in 6. Perindeque est, an pater an mater sit, quæ hac ratione nomine filii aut filia contrahit sponsalia, cum in hac dispositione non patria potestas, sed naturalis amor parentum in proles, & illarum in parentes debitus honor & reverentia spectetur. Sanch. l. 1. de sponsal. d. 23. n. 9. Gutt. de matrim. c. 11. n. 5. Castrop. l. c. n. 12. qui etiam id colligi ait ex cit. cap. dum ibi loquitur textus in plurali numero de parentibus. Perinde item est, si filius existat sub patria potestate, sive jam sit emancipatus; cum citatus textus distinctionis hujus nullatenus meminerit, ejusque, ut dictum, decisio fundetur non in patria potestate, sed amore naturali. Sanch. l. c. d. 28. n. 10. Gutt. n. 8. Castrop. l. c. Perinde denique est, an sit filius legitimus, an naturalis, aut etiam spurius; cum cit. textus utatur absolute voce naturali filiorum, sub qua comprehenduntur & spurii; ut Bart. in l. 2. ff. de accusat. num. 4. tamen aliàs Jure civili spurii appellari non debeant filii. Auth. ex complexu. c. de incest. nupt. Castrop. Gutt. ll. cit. Sanch. d. 23. n. 11.

3. Resp. Tertio: An verò, dum parentes pro filiis absentibus vel ignorantibus nomine eorum contrahunt sponsalia, si filii de eodem contractu certiores facti non contradicunt, pari modo consentire censeantur, ac si dicta sponsalia in eorum præsentia facta fuissent, in hoc, inquam, non conveniunt AA. Negant id ipsum Sanch. d. 23. num. 17. Gutt. l. c. c. 13. n. 11. hoc nixi fundamento, quòd textus cit. c. unici. de despons. impub. in hoc puncto loquatur diversimodè de filiis dicto contractui præsentibus, ac de filiis absentibus, dum ad hoc, ut filii præsentibus consentire, nihil requirit amplius quàm taciturnitatem; ad hoc verò, ut filii absentibus obligentur illo contractu, requirit, ut certiores de eo, facti eundem ratum habeant tacitè vel expressè; adeòque ultra taciturnitatem requirere videtur, ut ratificatio illa fiat signo aliquo alio positivo. Stetque etiam pro hoc sententia hæc congruentia; quòd, si filius præsens contractui dissentiret, præsumatur reclamaturus, secus ac in absentia, vel quia obliviscitur, vel quia existimat se postmodum posse reclamare; cum consensum non

præsterit. E contra affirmat Castrop. l. c. n. 14. citans D. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. a. 2. ad 1. Palud. ibid. q. 1. a. 1. Henriq. l. 11. c. 13. n. 5. alios vide apud Sanch. d. 28. q. 3. n. 16. fundamentum hujus sententiæ dicit Castrop. quòd citatus textus attentè inspectus eadem tacitè ratificatione pro utroque contractu contentetur; postquam enim censuit cit. textus, filium, si præsens est, factum à parentibus ratificare, si expressè consenserit vel tacitè, subdit: Et idem est, si filii tempore sponsalium absentes & ignorantes, eadem sponsalia post scientes ratificaverunt tacitè vel expressè; expressè quidem consentiendo positive; tacitè, tacendo & non contradicendo, dum possunt. Illud tamen hic observandum, quòd ut dicta taciturnitas & non contradictio consensum exprimere censeatur, filius debeat à parentibus, per se vel per nuncium aut epistolam de contractu ab ipsis ejus nomine factò moneri, & satis non sit, quòd casu vel ab aliquo tertio contractum intelligat; è quòd isti tertio non teneatur respondere; dum autem monetur à parentibus, reverentia eis debita postulet, ut respondeat reclamando, si contractus displiceat, vel tacendo, si placet. Ita Castrop. l. c. n. 15. cum Cón. d. 21. du. 3. n. 39. quod verò ex eodem addit Castrop. nimirum insuper notificationem illam debere fieri filio coram parte, & aliàs non sint sponsalia, quousque pars conscia acceptet & repromittat, siquidem inter ipsas, & non inter parentes celebrentur sponsalia. Hoc, inquam, non placet; cur enim non confurgerent & essent sponsalia, dum, postquam filio absenti per literas à parentibus significatum, se nomine ipsius promississe Bertæ matrimonium, & illam repromississe, filius tacendo consentiat, isque ipse tacitus consensus notificatus Bertæ.

4. Resp. Quarto: Idem quod de parentibus contrahentibus nomine filiorum hac in parte dictum de taciturnitate filiorum sufficienter significativa interni consensûs, aliqui, ut Sotus in 4. dist. 27. q. 1. a. 3. Henriq. l. 11. c. 2. n. 6. & alii relati à Sanch. d. 28. n. 2. extendunt ad quemcunque alium tertium; è quòd contractus matrimonii sit favorabilis, & in favorabilibus tacens consentire videatur. Alii admittunt de fratre contrahente nomine sororis; ut Sanch. q. 2. n. 7. arg. c. 1. de mat. contrab. contra edit. Eccl. ubi videntur valida sponsalia judicari, quæ frater pro sorore præsentè & consentiente tacitè contraxerat. Alii, ut Cón. d. 21. du. 3. admittunt de tutore, curatore, aliisque quorum curæ filii commissi; è quòd ad hos aequè ac ad parentes pertinet consulere bono pupillorum & minorum, & ad hos revereri illos, quam reverentiam non exhiberent, si, ubi contractus displicet, non contradicerent; unde non contradicentes, dum possunt, consentire censeantur. Verùm de his omnibus id negat, & de solis parentibus id admittit Castrop. l. c. n. 17. citans Covar. 4. decretal. p. 2. c. 4. n. 4. Gutt. de mat. c. 13. à n. 2. & c. è quòd taciturnitas filiorum, cum pater in eorum præsentia contrahit, ex natura rei seu jure naturæ non inferat sponsalia; cum ex natura rei non sit approbatio facti à patre non habente ad hoc speciale mandatum; sed solum ex jure positivo, in cit. cap. sic disponente, ut dicta taciturnitas sit sufficiens signum consensûs filii approbativum contractûs à parente nomine illius celebrati. Unde cum jus positivum ita disponit de solo contractu per parentes celebrato, dicendum non est, id quoque locum habere, dum alii non parentes, neque habentes ad hoc speciale mandatum contrahant nomine Titii; præsertim cum ratio sic statuendi specialis esse potuerit amor nimius & specialis erga proles, vi
cujus

cujus earum bono maxime consulunt, & specialis majorque reverentia filiorum erga parentes, à quibus, quòd vivant, acceperunt. Quæ ratio in fratre erga sororem, multoque minùs in curatore & tutore locum non habet.

Quæst. 16. An & qualiter subarrhatio annuli sit signum interni consensûs sponsalitiî seu sponsalium.

Resp. Tam etsi ex se immissio annuli in digitum alterius ejusdemque acceptatio (quam subarrhationem vocant) ex se non sit tale signum, ut patet, dum ex alia causa. V. G. in signum amoris honesti vel inhonesti fieri possit absque ulla sponsalium intentione, spectata tamen consuetudine, ubi porrectio & acceptatio annuli sponsalia significant, ea exinde contracta in foro externo censentur. Idem est, dum id ex circumstantiis accedentibus colligitur, V. G. si, dum de sponsalibus agitur aut actum est à Titio vel inter utriusque partis amicos utraque parte conscia, porrigatur vel mittatur annulus isque acceptetur; ita cum communi. Abb. in c. fin. de spons. impub. num. 7. & 8. Mascard. de prob. concl. 1024. à n. 2. Menoch. de præsump. l. 3. præsump. 2. num. 1. & 4. Sanch. l. 1. de mar. d. 22. num. 1. & 3. Castrop. loc. cit. num. 10. Idem erit, seu censentur contracta sponsalia, si annulus mittatur puellæ hunc in finem à patre ex consensu & nomine filii. Quod dictum de subarrhatione, idem dicendum de submissione & acceptatione aliorum munerum seu, ut vocant, jocalium; nimirum quòd per se non sint signum promissionis sponsalitiæ, sed tunc demum, quando præcedunt vel comitantur aliqua verba, actiones aut circumstantiæ, quæ ex usu vel consuetudine loci hanc promissionem denotant. Covar. de spons. p. 1. c. 4. Menoch. Mascard. l. cit. fusè de his agentes.

Quæst. 17. An inter facta, per quæ promissio futuri matrimonii rectè inferatur, aut etiam sponsalia constituuntur, sit matrimonium inter impuberes, aut inter puberem & impubere nulliter celebratum.

1. Resp. Matrimonium tale infert & inducit sponsalia, sive habet vim sponsalium. Sanch. l. 1. d. 21. num. 2. Pont. l. 12. c. 5. n. 4. Castrop. cit. p. 4. num. 3. cum communissima contra Engels. ad tit. de despons. impub. n. 10. & quosdam alios; juxta quod expressè deciditur c. fin. de despons. impub. & c. unico eod. in b. nam licet tales contrahentes, etiam seclusa omni alia lege, expressè solum velint alteri tradere suum corpus ad usum matrimonii, virtualiter tamen intendunt, si ex aliquo capite ea traditio effectum non habeat, tradere saltem jus ad traditionem; cum hæc juris traditio in matrimonii contractu imbibatur. Unde meritò præsumit Ecclesiâ, sic contrahentes velle sponsalia contrahere, casu, quo matrimonium contrahere non possint. Quam voluntatem contrahendi sponsalia, aliàs verè & in rigore inclusam in illa voluntate contrahendi matrimonium, & inde ortam dictam præsumptionem ut elidant, & à sponsalibus deobligentur, tam in foro conscientiæ, quam externo, debent habere voluntatem expressam, eamque declarare, se tantum velle matrimonium, & non sponsalia. Neque opponas juxta doctrinam communem Bar. R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

tol. in l. 1. si quis ita. ff. de P. S. n. 5. dum de obligatione contrahenda agitur, si actus non valeat eo modo, quo fit, nullatenus quoque eo modo, quo fieri potest, valeat; cum actus agentium ultra eorum intentionem operari non debeant; l. non omnis. ff. si certum petatur, & in obligationibus sit semper faciendâ stricta interpretatio. Ad eòque jam, si contractus impuberum, quo matrimonium contrahere volebant, non valet in ratione matrimonii, non valebit quoque in ratione sponsalium, quæ contrahere poterant. Nam vera est hæc doctrina de obligatione, quæ contrahi poterat, si nullo modo contineatur in obligatione attentata tantum, seu nulliter contracta; non verò vera est, si hæc in illa contineatur, quemadmodum sub ista obligatione matrimonii attentata comprehenditur obligatio sponsalium; Castrop. num. 5. ubi quoque alia ratione doctrinam illam Bartoli distingui posse ait, nimirum, ut, dum actu sub eo modo, quo gestus, non valet ex defectu formæ, non valeat etiam sub eo modo, quo geci potuit. Secus, si non valet sub eo modo ex defectu non formæ, sed tantum causæ, quemadmodum contractus matrimonialis inter impuberes non fuit invalidus ratione formæ, sed ratione causæ, seu ratione contrahentium, non habentium legitimam ætatem ad contrahendum matrimonium.

2. Resp. De cætero procedit responsio, tamen si matrimonium illud inter impuberes ab iis contractum clandestinè. Eò quòd Trid. sess. 24. c. 1. de reformat. irritando seu vim omnem auferendo à matrimoniis clandestinè celebratis, quæ de cætero olim erant vera & valida matrimonia, nullatenus à matrimoniis clam celebratis inter impuberes, quæ nunquam rationem veri matrimonii habuerunt, sustulerit vim sponsalium; sed illum contractum reliquit naturæ suæ, vi cujus, ut dictum, includit intentionem saltem sponsalium. Sanch. l. 1. d. 21. n. 5. Castrop. l. c. n. 4. Nav. c. 22. n. 57.

Quæst. 18. An matrimonium clandestinè, & hinc invalidè contractum inter puberes contineat rationem sponsalium.

1. Resp. Primò: Quantum ad rigorem jurisattinet, pari modo ob paritatem rationis loquendum de tali matrimonio clandestino puberum ac de matrimonio contracto inter impuberes tanquam probabilius censet Castrop. num. 8. citatis pro hoc Henriq. l. 11. de mar. c. 5. n. 4. Coninck. d. 24. du. 4. n. 47. Laym. l. 5. tr. 10. c. 1. in fine. & pluribus aliis; eò quòd, ut dictum q. præced. consentiens in matrimonium præsens, eo ipso consentit in matrimonium futurum, dum matrimonium præsens contrahi nequit, & Trident. irritando consensum illum clandestinum præstitum in matrimonium præsens in ratione matrimonii, non irritavit eundem, quatenus ex natura rei se ipso est consensus in matrimonium futurum, seu quatenus constituit sponsalia; cum hæc etsi clandestinè contracta valeant.

2. Secundò: Spectando tamen praxin & consuetudinem receptam veriorem esse sententiam oppositam, ait Castrop. l. c. & sic absolute docetur communiter à Sanch. l. 1. de spons. d. 20. n. 3. & 4. Gutt. de mar. c. 11. & de juram. confirm. c. 51. à n. 28. Cevall. comm. contra comm. 9. 604. n. 79. Trid. enim inhibendo annullandoque omnino talem contractum clandestinum matrimonii etiam ab eo separat rationem sponsalium. Quod

ipsum patet à posteriori; cum sic contrahentes nullatenus obligentur persistere in illo contractu, aut ad celebrandum eum validè, hoc est palàm & in facie Ecclesiæ, ac ita ad contrahendum verum matrimonium; adeoque neutri taliter contrahentium adversus alterum concedatur actio; audirentur enim aliàs in foro externo, & cogentur stare promissis, quemadmodum coguntur in impubertate contrahentes seu attentantes matrimonium contrahere, ad illud contrahendum, adveniente tempore pubertatis, ita una parte volente. Adde, quòd quoque hic valeat principium illud allatum à Castrop. pro respons. ad q. preced. nimirum quòd dum actus eo modo, quo gestus, non valuit ob defectum formæ, etiam non valeat eo modo, quo geri potuit, in præsentem autem contractus ille matrimonialis clandestinè celebratus laborat defectu formæ, nempe solennitatis requisitæ.

3. Atque ex his binis responsionibus patet, quid dicendum, dum matrimonium tale clandestinum firmatum est juramento; nimirum spectata praxi juramentum illud nullum esse, utpote adjectum promissioni omnino invalida; spectato verò rigore juris, juramentum illud valere & obligare ad ducendam puellam, non quidem ad ducendam illam vi matrimonii illius clandestini, sed vi matrimonii denuo celebrandi & virtualiter promissi in contractu illo matrimonii clandestini. Castrop. l. c. num. 9.

Quest. 19. An & quando defloratio puellæ ejusque imprægnatio habeatur pro signo sufficiente consensûs sponsalitiî, aut saltem obliget ad ducendam vel dotandam illam.

1. **R**esp. Ad primum: Defloratio puellæ seu habitata cum ea copula per se seu absolute loquendo sine aliis concurrentibus non constituit signum sufficiens consensûs sponsalitiî, & ne quidem infert præsumptionem contractorum sponsalium; cum ea frequentius & plerumque haberi soleat ex libidine absque ulla promissione aut etiam animo ineundi matrimonii. Si verò unà cum copula concurrant verba aliave signa dubia animi & promissionis factæ de ducenda illa, unà cum dictis signis signum sufficiens in foro externo constituit præsumendi copulam habitam dicto animo & cum promissione matrimonii futuri, adeoque hoc ipso contracta sponsalia, & consequenter sufficit ad condemnandum absolute reum ad nubendum ei, tametsi in foro interno ad hoc non teneatur, si reipsa animum talem non habuerit. Menoch. l. 1. præsump. 1. Perez. de matr. l. 12. §. 4. Gobat. tr. 10. cas. 2. num. 6. & alii, quos citat & sequitur Reiffenst. h. r. num. 67. & 68. Arg. c. si is, qui fidem. 30. h. r. ubi etiam in talibus circumstantiis contractum præsumitur matrimonium, adeoque multò magis sponsalia. Fovente etiam hanc præsumptionem, quòd puellæ aliàs honestæ vitæ non censeantur præbere sui corporis usum ante contractum matrimonium, & si id faciant, non nisi suo sponso & sub spe futuri matrimonii; elidente è contra penitus quòd ad forum etiam externum hanc præsumptionem, si puella honesta non sit, sed prostituta libidinis seu exposita pluribus, & exinde diffamata & suspecta.

2. Resp. Ad secundum primò: Si citra contracta sponsalia factamve promissionem absque vi vel

fraude vel metu injustè incusso, item absque precibus & blanditiis importunis liberè consentientem quis defloraverit, aut etiam imprægnaverit, vel priùs corruptam carnaliter cognoverit, in conscientia eam nec ducere, nec dotare tenetur; non ratione promissionis; quia ut supponitur, ea facta non est. Nec ratione injuriæ illatæ; utpote quæ liberè consentienti non inferitur; & jura ratione deflorationis aut stupri restitutionem seu satisfactionem imponentia loquuntur solum de seducendo & decipientibus, ut patet ex c. 1. & 2. de adulter. & stupr. ita Less. l. 2. c. 20. dn. 1. & 2. Nav. in man. c. 16. n. 11. Barb. ad cit. c. 1. n. 2. Pirh. h. r. n. 49. Reiffenst. n. 70. In foro tamen externo tenetur eam ducere vel dotare; quia puella honesta censetur non consensisse liberè, sed vi vel dolo aut importunis precibus seducta, juxta l. 1. c. de rapto Virg. ita Anchor. in c. 1. de adult. & stupr. Barb. ibid. n. 3. de Lugo de 7. & 7. d. 12. §. 1. n. 2. Gutt. qq. can. 9. 37. num. 11. Reiffenst. h. r. n. 70. & 85.

3. Resp. Ad secundum secundò: Si autem puellam defloravit vi, dolo, metu injustè incusso, & jam absque facta ei spe matrimonii, tenetur deflorator tam in foro interno, quam externo eam ducere aut sufficienter dotare, ita cum communissima & certa juxta c. 1. de adul. & stupr. Barb. ibid. à n. 7. Nav. l. c. n. 17. Less. l. c. n. 10. Sylv. l. c. v. Luxuria. n. 5. Mol. Abb. & Canonistæ passim. Siquidem omnis injustè damnificans (qualiter dicto modo puella damnificatur) tenetur refarcire damnum, quod in hoc casu aliter refarcire nequit, quam ducendo à se defloratam, vel ita dotando, ut æquè honestas nuptias consequi possit, ac si deflorata non esset. Ad idem tenetur, saltem in foro externo, qui importunis precibus & blanditiis aut muneribus ad copulam secum habendam induxit puellam. Nav. l. c. Gutt. l. c. n. 15. Less. l. c. c. 10. n. 4. Pirh. h. r. num. 50. si enim expressè statuitur per textum cit. c. 1. de eo, qui cum puella à se seducta dormierit; communi verò usu & intelligentia (secundum quam verba legum semper accipienda. Arg. c. ex literis. it. l. h. r. & L. Labeo. ff. de supell. legat.) seducere puellam dicitur non tantum, qui fraude & dolo, sed &, qui eam importunis precibus & blanditiis ad consensum inducit. Neque etiam necessàriò requiritur ad ducendam illam, ut puella illata injuria, sed sufficienter sollicitationes & suasiones instantè factæ & importunè. Nev. n. 16. arg. l. 1. de rapto Virg. utpotè quæ etiam metui æquiparantur, ut Gutt. l. c. arg. l. 1. c. ne filius pro patre, junctâ Gl. v. extorta. præsertim si adhibita à Principe, aliove Superiore aut magno Benefactore, cui sollicitanti importunè puella ex metu reverentia non audeat resistere, ut Molin. de 7. & 7. tr. 3. d. 106. num. 1. Pirh. l. c. Secus tamen est quòd ad forum internum, dum puella seducta æquè commodas nuptias consequi potuit, uti semper contingit, dum defloratio manet occulta imprægnatione non secuta; cum tunc ad nihil teneatur deflorator, neque ratione damni illati, utpote quod vi talis occultationis evitatur, virginitas etiam violata sit irreparabilis; neque vi dispositionis; cit. c. 1. utpote quæ ad executionem requiritur Judicis sententiam, quæ ferri nequit, quamdiu defloratio occulta. Gutt. loc. cit. num. 25. Quòd si tamen deflorata contra defloratorem, uti potest, agit, & Judex (uti debet, etiam dum nihil præter deflorationem ipsam passâ est damni; cum lex illa de ducenda

cedenda vel dotanda lata principaliter sit in odium criminis) tulit sententiam; teneatur deflorator, etiam in foro interno, eam dotare; cum quivis iuxta sententiam iuxta leges lata teneatur parere. Reiff. *h. t. n. 77. juncto n. 93.* qui etiam *n. 92.* extendit idem ad casum, quo deflorata non obstante defloratione habet vel habere potest dotem competentem; eò quòd virginitas, ut Abb. *in cit. c. 1. n. 5.* Gutt. *l. e. n. 8.* sit altera seu secunda dos. Quin &, si crimen occultum deflorator ipse propelet, tenebitur dotare illam in foro interno ante sententiam Judicis, ut Molin. *cit. r. 3. d. 104. n. 13. in fine.* de Lugo *de f. & f. d. 12. f. 1. n. 6.* Pirh. *h. t. n. 48.* quia teneatur adhuc tam jure naturæ, quàm positivo, etiam ante omnem sententiam, reparare damnum, quod intulit, si non deflorando, saltem diffamando per talem proptionem. Unde & ipsa deflorata sic diffamata, etiam in foro externo, agere potest contra diffamatorem damnum hoc resarcire recusantem, vel actione injuriarum ex *L. diffamari*, vel pro acquirenda dote ex causa deflorationis. Nec penam effugiet deflorator dicendo, quòd puella liberè consenserit, aut virgo non fuerit; cum in foro externo puella fuisse virgo ante deflorationem ab eo factam, juxta *cit. c. 1. & Anchor.* Abb. Barb. *ibi n. 4.* ita tamen, ut, si Judex ex ea præsumptione ad plus, quàm damnum puellæ per diffamationem illatum efficit, condemnaret diffamatorem, excessum illum, saltem in occulto, restituere teneatur puella; ita Reiffent. *n. 78.*

4. Resp. Ad secundum tertio: Quòd si tamen citra promissionem matrimonii sine vi, dolo, metu, & importunis precibus cognosceret fœminam, quæ amplius virgo non erat, aut pro tali communiter habebatur, quippe publica meretrix, aut talis, de qua constaret esse corruptam, in nullo foro ad quicquam tenetur: tum jure naturali in foro interno; quia in nullo genere damnum intulit: tum jure positivo in foro externo; cum *cit. c.* dicatur: *Qui virginem seduxit*; unde à sensu contrario rectè inferitur, ad nihil teneri, qui seduxit jam corruptam. Proceditque id ipsum regulariter, dum etsi non sciat fuisse corruptam, est tamen puella vilis, vitæ minus honestæ, vagabunda, non servato pudore admittens non admittenda; cum contra tales stat præsumptio, quòd virgines non sint; ita Barb. Farin. & *LL. cit.* & alii communiter apud Reiffent. *n. 80.* arg. *L. que adulterium. in fine c. ad Leg. Jul. de adulter.* Et sic in specie de famulabus cauponarum sentiunt Barb. *l. c. n. 11.* Alciat. *in L. inter stuprum. ff. de V. S. n. 5.* Farin. *l. c. n. 3.* referens plures alios, arg. *cit. L. que adulterium.* & *ibi.* Gl. *v. que adulterium.* quod tamen valde limitandum esse, bene dicit Reiffent. dum etiam inter eas reperiuntur plures, quæ aliàs fuerunt & sint honestæ vitæ. Nihilominus adhuc tenetur ducere vel dotare, qui prius corruptam denuo vi, dolo, importunis precibus seducit, seu cognoscit, postquam per longum tempus emendatam honestamque vitam duxit; ideòque oblitterato, vel non curato priore delicto, spem proximam, vel promissionem boni matrimonii habet, aut alio beneficio fruitur, quo ob novum lapsum privaretur; quia tali inferitur per hoc injuria & damnum, in conscientia jure divino ac naturali resarciendum.

5. Resp. Ad secundum quarto: De cætero qui vi, dolo, metu injustè incussio, importunis precibus seduxit & defloravit puellam, non tenetur co-

pulativè ad eam ducendam & dotandam; sed satisfaciendæ in utroque foro eam ducendo, vel eam aut parentibus recusantibus matrimonium, eandem dotando. Barb. *in c. 1. de adulter. & sup.* Abb. *ibid. n. 4.* Butrio. *n. 2.* Clarus *§. stuprum. n. 3.* Azor. *p. 3. l. 5. c. 5. §. quares.* de Lugo *de f. & f. d. 2. f. 11. n. 21.* Less. *L. 2. c. 10. n. 13.* Gutt. *99. can. L. 1. g. 37. n. 7. & seq.* Pirh. *h. t. n. 45.* Reiffent. *n. 87.* alique juxta Rotæ *decisi. 779. p. 4. divers.* & receptissimam omnium tribunalium praxin & consuetudinem, teste Gutt. Arg. *c. 2. de adulter. & sup.* ubi seductor talis, seu deflorator sub alternatione ad ducendum vel dotandam compellitur; in alternativis autem sufficit unum implere, juxta *c. in alternativis. de reg. jur. in 6.* non obstante *c. 1. eod.* ubi copulativè per particulam & ad utrumque compelli videtur; quia ibi dictio & sumitur pro vel, sicuti & non raro accipitur in aliis textibus juris, prout dicitur *L. sape & L. conjunctionem ff. de V. S.* Quin &, ubi deflorata ejusve parentes recusant matrimonium cum seductore, tenebitur is determinatè eam dotare. Host. *in c. 1. n. 1.* Gonz. *ibidem n. 7.* Clarus. Barb. *LL. cit.* Less. *l. c. n. 12.* de Lugo. *n. 12.* Farin. *de delictis carnis. q. 147. n. 105.* Pirh. *h. t. n. 46.* juxta *cit. c. 1.* ubi expressè: *Si pater virginis dare noluerit, (intellige, filiam violatam ei in matrimonium) reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt; quod multo magis locum habet, si ipsa filia, utpote principaliter offensa, ei nubere recusat: ex ea etiam ratione, quòd si carere deberet dote vel stupratore, determinatè sic volente, eundem, fortè non placentem, ducere, privaretur adhuc libertate, quam priùs habebat, nubendi, cui volebat.*

6. Resp. Ad secundum quinto: Quòd attinet ad quantitatem dotis, ad tantam puellæ defloratæ dandam obligatur seductor, quantum parentis consideratis puellæ & mariti, quem non violata accipere potuisset, qualitatibus & dignitate, revera daturum fuissent, nisi fortè aliud habeat loci consuetudo; ita juxta textum *c. 1.* paulò ante citatum Gl. *in idem c. 1. juxta modum.* Gonz. *l. c. n. 8.* Farin. *l. c. n. 24. & seq.* Carpz. *pr. crim. p. 2. q. 68. n. 13.* Berlich. *p. 5. concil. pract. 38 num. 20.* Quin & sape etiam in foro externo deflorator majorem dare dotem debet, quàm consideratis considerandis, nempe ejus nobilitate, specialibus naturæ donis, virtute singulari vel arte, quæ pollet puella, etiam de cætero pauper (cum & tales puellæ pauperes, etsi careant dote, aut modicam habeant, intuitu dictarum qualitatum plerumque æquè præclaras nuptias acquirunt, ac aliæ ampliore dote instructæ) habere potuisset, si nimirum plus ei intulit damni; cum etiam in foro externo quivis teneatur resarcire totum damnum alteri injustè illatum; modò tamen damnum illud legitime probet, & satisfactionem, prout exigere potest, exigat. Secus si, etsi illud verè illatum, probare tamen nequit, aut eo probato, satisfactionem non exigat: tunc enim in foro externo sola dote contenta esse debet; uti & eam contenta esse debet, etiam in foro externo, si dolis importunis, blanditiis eam seduxit; cum vel sic ei consentienti injuria, adeòque nec damnum contra justitiam inferatur, Reiffent. *h. t. n. 107.* De cætero multum in hoc puncto relinquendum arbitrio prudentis & æqui Judicis, quanti aestimandum sit damnum illud, quod puella pauper nobilis, instructæque dictis quali-

qualitatibus passa, non attento tamen, quod deflorator sit dives; cum exinde ad majorem dotem dandam, quam minus dives non altringatur. Quin & si deflorator sit pauper, aut mediocris fortunæ, non teneatur dare dotem, quanta aliis consideratis qualitate & facultatibus parentum ejus, requireretur; sed solum tantam, quantam salvo suo statu & conditione dare potest; cum ad impossibile (cui æquiparantur valde difficilia) nemo teneatur. Teneatur tamen in utroque foro ducere in hoc casu puellam non notabiliter inferioris conditionis, dum ea illum habere vult; ad quod tamen etiam non tenetur, dum dotare eam non potest, si puella sit longè inferioris conditionis, ut de Lugo *d. 12. f. 1. num. 18.* cum nemo, ut idem cum communi Theologorum, teneatur cum longè majore suo damno, refarcire damnum à se illatum alteri; quod etiam in foro externo procedere ait Reiffenst. *num. 114.* quem vide.

6. Porrò procedunt hæc dicta de quantitate dotis etiam quò ad forum internum; nisi quòd in hoc etiam ante Judicis sententiam refarciendum sit præter dotem puellæ consideratis omnibus considerandis, competentem omne damnum illi illatum, ad quod in foro externo ante sententiam non tenetur injustus deflorator. Imò ut pro foro interno is teneatur pro quantitate damni illati restituere dotem, etiam in casu, quo Judex in foro externo ad minorem dotem per sententiam eum obligavit, si vel ex negligentia vel simplicitate, aut ignorantia gravitatem damni non proposuit, aut propositam probare non potuit deflorata; eò quòd sententia judicis, quæ non nisi secundum allegata & probata ferri potest & debet, juxta communem Theologorum non relevet in foro conscientiæ illum, qui revera plus damni se intulisse, aut debere novit. Secus tamen, si violata satis declarasset & probasset gravitatem damni; tunc enim pro justitia sententiæ, & æquitate Judicis præsumi debet, nisi apertè de injuria constaret; ita ferè Reiffenst. *num. 104.* Quamvis autem cum Gutt. *l. c. in fin.* valde probabiliter doceant plures, defloratorem aequalis conditionis & dignitatis offerentem se ad ducendam violatam, ea illum respuente & volente dotem, non teneri in foro conscientiæ ante sententiam Judicis dotem solvere; eò quòd is in hoc casu in foro ad plus non teneatur, quam ad refarciendum damnum; illud verò ordinariè totum consistat in eo, quòd æqualem sibi virum amplius nequeat accipere. Videntur tamen alii docere probabilius, in hoc casu posse adhuc in foro interno compelli defloratorem ad dotandam defloratam, eò quòd in pœnam delicti defloratori sit adempta libertas ducendi vel dotandi illam; ea verò concessa deflorata, ut, si defloranti nubere nolit, dotem pratendere possit.

7. Resp. Denique: qui fide spe & matrimonii promissione fœminam seduxit ad copulam, non satisfacit eam dotando, sed tenetur in utroque foro determinatè eam ducere, etiamsi non fuerit virgo, modò id sciverit deceptor. Sanch. *L. 1. de mat. d. 10. num. 2.* Laym. *L. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. num. 11.* Nav. *l. c. c. 16. num. 18.* Less. *L. 2. c. 10. dnb. 3.* Molin. *de 7. & 7. 4. 12. f. 2. num. 20.* Sylv. Pirh. & alii, quos citat & sequitur Reiffenst. *b. t. num. 115.* contra Perez. *de mat. d. 2. f. 3.* fundantes suam sententi-

am non in damno inde secuto deceptæ; sed in natura contractus: *do ut des, facio ut facias*, (qualis in præsentem intervenit) vi cujus, etiam fide celebrati, ex justitia commutativa, & naturali æquitate tenetur, postquam pars una illum implevit, pars altera eundem implere; quia acceptans alterius factum non nisi sub conditione facti ab altero reciprocè præstandi, sua fictione & interna protestatione impedire nequit, quò minus ex justitia, & naturali æquitate oriatur obligatio reciprocæ præstationis.

8. Limitanda tamen variè hæc responsio; & primò quidem; nisi fœmina ex verbis, aliisque conjecturis ex circumstantiis facile colligere potuisset fraudem & fictionem. Sanch. *l. c. num. 7.* Laym. *l. c.* Less. *l. c. num. 24.* Sylv. *v. luxuria. q. 5.* Reiffenst. *num. 127.* cum communi aliorum. Estque inter has circumstantias & illa, si vir notabiliter excedit conditionem fœminæ, v. g. dum ea pauperculi rustici filia & vir nobilis; tunc enim mulier id sciens facile suspicari potest, virum sine animo se ducendi in uxorem ex mera libidine prensasse usum sui corporis, quem ut obtineret, celebrasse secum contractum illum onerosum; *facio, ut facias.* Sanch. *l. c. num. 5.* Less. *l. c. du. 3.* Pirh. *de adult. & stup. num. 57.* Reiffenst. *num. 121.* Sylv. & Nav. *LL. cit.* Secus est, seu tenetur deceptor eam ducere, si mulier excessum illum ignoravit, vel etiam dum cognito ab illa excessu illo, vir fide promittens, tali tamen modo, seu talibus utens verbis, (qualia refert Reiffenst. *num. 123.*) de serio animo ducendi eam asscurasset, ut ipsa & quilibet vir prudens credere potuerit, virum sincere promittere matrimonium, ut contra Sanch. & Pirh. tenet communior & probabilior. Limitanda secundò: nisi fœmina jactaret & fingeret, se esse virginem, dum talis non est; cum ex tali causa etiam solvi possint sponsalia vera, adeoque multò magis tolli vel impediri obligatio eam ducendi. Sanch. *l. c. num. 11.* Less. *l. c. num. 39.* Ledesin. *de marr. q. 45. a. 4. du. 1.* Laym. *l. c.* & alii communiter. Quin & ipsum procedere, affirmant iidem, dum mulier non deciperet virum, dicendo, se esse virginem, sed purè non manifestando amissionem virginitatis, ad quod manifestandum non tenebatur, concessisset viro corporis sui usum. In quo casu adhuc vir in utroque foro tenetur eam dotare, si, quæ communiter habebatur virgo, inde diffamaretur & pateretur damnum. Less. Pirh. *LL. cit.* Cordub. *in sum. q. 49.* Si verò ex illo damnum nullum sequatur, ad nihil tenebitur vir deceptor. Limitanda tertio: ut liberetur iniquus seductor ab obligatione tam ducendi, quam dotandi mulierem à se cognitam, quoties intervenit vel subsequitur circumstantia vel causa, ob quam justè dissolvi possunt sponsalia verè contracta. Sanch. *l. c. num. 13.* Less. *num. 30.* Laym. *l. c.* non enim apparet ratio, cur, si causa aliqua tollat vel impediatur obligationem natam ex vera promissione, eadem non sit sufficiens ad tollendam obligationem natam occasione fictæ promissionis ex contractu innominato: *facio, ut facias.* De cætero si talis fide promittens est conjugatus, aut clericus in sacris constitutus, fingens se esse laicum solum, cum seductam à se ducere nequeat, tenetur determinatè eam dotare in tantum, in quantum eam damnificavit.

Quæst.

Quaest. 20. Quid agere debeat in foro externo Judex, dum consideratis considerandis omnibus, manet dubium vel ambiguum, num sponsalia vere contracta, seu vera, sit, valeatque promisso matrimonii.

1. Resp. diversimodè, pro ut ambiguitas & dubitatio oritur ex diversis capitibus, & primò quidem, si verba & signa, quibus exprimens consensus & promissio ex seipsis & communi DD. habeant obscurum & ambiguum sensum, ipseque ea proferens, neget, se ea protulisse aut edidisse intentione promittendi matrimonii, Judex debet negantem absolvere, seu ab obligatione liberum pronunciare, saltem si copula non intercesit, quia in obscuris minimum (hoc est, quod minus gravat) est sequendum, juxta c. 30. de reg. jur. in 6. magisque in dubio praesumitur pro libertate, quam pro obligatione, juxta L. 47. ff. de O. & A. ibi: ubi de obligando queritur, propensiores esse debemus nos, si habeamus occasionem ad negandum; ubi de liberando ex adverso queritur, ut facitores simus ad liberandum; & juxta L. quidquid ff. de V. S. ubi: quidquid astringende obligationis causa dictum est, id, nisi palam verbis exprimat, omissum intelligendum est: at cerè secundum promissionem interpretamur; quia stipulatori liberum fuit verba late concipere; vel debet Judex neganti deferre juramentum purgatorium, quò edendo talia signa non habuerit intentionem per ea significandi promissionem matrimonii, quia, cum quilibet sit suorum verborum interpres, in dubiis & ambiguis recurrendum ad mentem proferentis, eique saltem juranti credendum. arg. c. personalis de except. & universaliter, dum de mente & conscientia agitur alicujus, statur juramento illius, ut Gl. communiter recepta in c. significasti. de homicid. volunt. v. si ita. Felin. in c. quando de presumpt. num. 6. Gail. L. 7. obs. 48. à num. 24. apud Recensent. h. e. num. 45.

2. Secundò: Si verba & signa clara, & ex communi loquendi usu, locique consuetudine, aut communi DD. sponsalia seu promissionem matrimonii significantia; pars autem adversa dicat, se ea non serio, sed ex joco protulisse, Judex in foro externo praesumere & judicare debet, rem serio actam, & veram promissionem matri-

monii factam; nisi jocus aliunde constet, aut sufficienter probetur, quia generaliter loquendo, dum verba juxta communem usum clarè quid significant, juxta eorum tenorem praesumendum & judicandum. Si verò jocus ita probetur & appareat, ut adhuc maneat ambiguum, num serio, an jocosè actum, deferendum est asserenti juramentum, eique standum juxta paulò ante dicta.

3. Tertiò: Si verba sint clara, proferens verò dicat, aut convincatur prolata esse ex dolosa fictione & fraudulentè ad obtinendum usum corporis alterius, nullam in foro externo meretur fidem, nec ad juramentum admitti debet (allegans enim propriam turpitudinem suspectum se reddit & fide indignum, & sic inhabilem ad hoc, ut ei juramentum deferatur) sed juxta externum verborum tenorem judicandus & condemnandus. Quod idem dicendum videtur, & si fictionem (quae tamen dolosa fictio longè difficilius probatur, quam jocus; ut qui plerumque aperte patet & dignoscitur ex circumstantiis; fictio verò dolosa studio absconditur, & ut actus serio & sincerè gestus simulatur) in odium & poenam dolosae fictionis.

4. Quartò, si verba aut signa sunt clara & sponsalia, indubitatè significant, reus autem absolute negat, se ea protulisse, & pars altera affirmans, ea prolata esse, solum semiplenè probet, ita ut revera remaneat dubium, num prolata, causa decidi debet juramento legis decisorio; cuius dilatio ceteris paribus (dum nimirum reus est persona aequè honesta ac actor, & uterque aequè semiplenam sui asserti probationem affert) regulariter potius reo facienda (à quo praestitum juramentum dicitur purgatorium, quia purgat reum ab obligatione ei objecta; & juramentum actoris suppletorium, quippe supplens semiplenam probationem ab eo factam) utpote cuius tanquam possidentis seu existentis in possessione suae libertatis, causa est melior; & dum partium jura sunt obscura, potius favendum reo quam actori, juxta reg. II. juris in d. secus est, si reus est vilis, infamis, de perjurio suspectus, aut etiam persona non legitima, tunc enim juramentum suppletorium deferendum potius actori, etsi sit femina, modò causam suam priùs semiplenè probaverit; de quo vide plura L. 2. tit. 24. de jurejurando.

CAPUT III.

De pignoribus, pactis, pœnis, conditionibus, quae contractui sponsalicio possunt, vel non possunt apponi.

Quaest. 21. An in contractu sponsalium ob majorem ejus firmitatem adhiberi possint fidejussores, & apponi pignora.

1. Resp. Ad primum: affirmativè. Castrop. de sponsal. d. 1. p. 14. num. 1. citatis Sanch. d. 38. n. 1. Gutt. de mat. c. 22. hos tamen fidejussores, ait Castrop. obligari tantum posse ad solvendum

interesse & damnum, quod ex violatione sponsalium parti innocenti provenit, non tamen ad solvendam poenam, quia juxta §. 1. Inst. de fidejuss. & ibi DD. non possunt plus obligari, quam ipsi contrahentes, hi autem obligari non possunt ad poenam juxta dicenda paulò post.

2. Resp. Ad secundum: Tametsi pignora apponi nequeant pro securitate poenae solvendae (cum haec ipsae apponi nequeant, adeoque jam corrue[n]te princi-

principali, nempe obligatione ad pœnam, corruere etiam debet accessorium, juxta *reg. accessorium. de reg. jur. in 6.*, nempe appositio pignoris in securitatem pœnæ) possunt tamen apponi pro securitate arrharum non tantum, sed & pro interesse, quod amittere potest innocens, vel pro damno ei illato ex fide ei violata; cum enim contrahentes sponsalia obligari possint ad solvendum non tantum arrhas promissas, sed & ad interesse & damnum, si quod ex violatione sponsalium emergat, pro majore certitudine apponi possunt & pignora, non secus ac fidejussores; cum id nullo jure prohibeatur. Castrop. *l. c. n. 3.* quin & ipsæ arrhæ expressè tradi possunt tanquam pignus pro securitate futuri matrimonii, ita ut eas amittat tradens, si culpâ suâ non sequatur matrimonium; eo autem secuto redeant ad tradentem. Sanch. *L. 1. d. 36. à n. 2.* juxta *L. 2. c. de spons.* ubi: *arrhas sponsaliorum nomine datas defuncto dante jubemus restitui, nisi causam, ut nuptiæ non celebrarentur, persona defuncta præbuit.*

Quæst. 22. An igitur sponsalibus adjici possit pactum expressum à contrahentibus, ut resiliens injustè compenset damnum emergens ex tali recessu.

R Esp. Possè in pactum deduci compensationem damni emergentis innocenti ex tali recessu; non verò lucri exinde eidem cessantis. Castrop. *l. c. d. 1. p. 9. n. 10.* Sanch. *L. 1. d. 30. n. 15.* Gutt. *de mat. c. 17. n. 14.* contra alios putantes posse venire in pactum compensationem, & damni emergentis & lucri cessantis, item contra alios putantes, neque compensationem damni emergentis, neque lucri cessantis posse venire pactum. Ratio primæ partis responsionis est, quòd resiliens injustè committat injuriam & injustitiam adversus innocentem, adeoque damnum inde proveniens innocenti (quale v. g. esset, si impensas aliquas in sponsalibus contrahendis fecisset, vel ob eam causam alia sponsalia, non leviter sibi utilia amisisset) tenetur compensare, etiam seclusa omni pactatione, ergo hoc damnum reparandum deduci poterit in pactum; quia non ex pacto, sed ex injustitia violatæ fidei debetur. Jus autem positivum irritat compensationem aliàs indebitam; non verò jure naturæ debitam; ita Castrop. contra quòd nihil dici potest, quàm quòd hac ratione pactatio illa videatur superflua. Ratio partis alterius est, quòd ad lucrum cessans innocenti ex eo v. g. quòd sponsus resiliens sit ditissimus; neque alius æquè dives haberi possit, innocens non habeat jus, nisi post contractum matrimonium; adeoque si contrahentes se mutuo obligare possunt ad tale lucrum compensandum, obligarentur ad solvendam pœnam aliàs indebitam, quæ obligatio à jure positivo annullatur juxta paulò post dicenda.

Quæst. 23. An sponsalibus adjici possit pactum pœnæ solvenda à resiliente.

R Esp. Primo in genere: Pœna (intellige, propriè dicta, id est, quæ ex propria pecuniæ, patrimonii vel bonorum diminutione est persolvenda; non verò ea, quæ consistit in acquirendo lucro aliquo, de hac enim agitur *quæst. seq.*) non potest venire in tale pactum; quia tale pactum prohibetur & annihilatur in *c. gemma mulier. h. t.* ubi Pontifex urgentem istiusmodi pœ-

næ solutionem jubet etiam per censuras compelli ad desistendum urgere, motus ex eo, quòd matrimonia debeant esse libera. Item à jure civili in *L. fin. de sponsal.* ubi: *si cautio pœnam stipulationis continens fuerit interposita, ex utraque parte nullas vires habebit; cum in contrahendis nuptiis libera potestas esse debeat;* & *L. Titia. ff. de V. S.* ubi dicitur, talis stipulatio esse contra bonos mores, & inhonestum videri vinculo pœnæ matrimonia obstringi, sive futura, sive contracta.

2. Extenditur responsio primò ita, ut hanc prohibitionem & irrationem non impediatur, quòd pœna appositæ sit levis; quia jura indistinctè prohibent pœnam apponi in sponsalibus, & qualibet pœna, etiam minima, ex se diminuit libertatem requisitam ad matrimonium; & quòd, si in aliquo casu ea libertas non minuatur, id sit per accidens, quòd jura non attendunt, sed ea, quæ frequenter contingunt, spectant Castrop. *l. c. num. 1.* Sanch. *cit. d. 30. n. 11.* Gutt. *l. c. n. 5.* Pirh. *h. t. n. 22.* cum Abb. in *c. gemma. n. 8.* Covar. *4. decret. p. 2. c. 3. §. 7. n. 5.*

3. Extenditur secundo; ut irrita quoque sit cujuslibet pœnæ appositio facta à sponsorum cognatis amicis, tutoribus, nisi matrimonium sequatur; eò quòd horum damnum sit etiam damnum sponsorum, eòque movere potest ad contrahendum matrimonium. Castrop. *l. c.* Sanch. *l. c. n. 2.* Gutt. *n. 2.* secus esset, si inter extraneos motu proprio, & non ex mandato sponsorum, vel eorundem parentum pœna appositæ esset. AA. iidem.

4. Extenditur tertio ita, ut, etiamsi adjiciatur juramentum de pœna sponsalibus appositæ solvenda, illud non tantum promissionem illam solvendi dictam pœnam non firmet, sed etiam non sit obligatorium; ita tenet Castrop. *l. c. n. 6.* Sanch. *L. 1. d. 32. n. 21.* Gutt. *c. 17. n. 21.* Poncius *L. 12. c. 19. n. 7.* contra Molin. *de just. Tom. 2. l. 2. d. 151.* Lessium *L. 2. c. 17. du. 7. n. 56.* sentientes juramentum illud obligare, etsi promissionem illam solvendi pœnam non firmet; eò quòd etsi promissio illa, utpote prohibita sit peccatum; solutio tamen ipsa prohibita non sit; item contra Cóninck. *d. 22. du. 5. n. 25.* & alios citatos à Sanch. censentes juramentum illud non tantum obligare ad solutionem, sed etiam firmare promissionem illam solvendi. Verum ratio extensionis, quò ad primam partem est, quòd ad firmandum contractum aliàs nullum & prohibitum necesse est à jure sic disponente illius vitium purgari; quia juramentum de non retractando contractu nullo & prohibito iniquum est, nisi jus ipsum in casu accedentis juramenti tollat nullitatem & prohibitionem; sed nullibi stante tali juramento invenitur à jure sublata prohibitio & nullitas talis promissionis de solvenda illa pœna appositæ sponsalibus; ergo juramentum illam promissionem firmare nequit. Ratio extensionis, quò ad secundam partem, nimirum quòd juramentum illud non sit obligatorium, est, quòd jus interdictis promissionem pœnæ adjici sponsalibus non tam interdicat promissionem, quam solutionem faciendam; quia non tam promissio, quam solutio adimit libertatem matrimonii; ergo juramentum est de re prohibita & illicita, adeoque obligare nequit; ita ferè Castrop. qui etiam exinde confirmat extensionem, & fundamenta contrariæ opinionis diluit, quòd solutio pœnæ, etsi per se mala non sit; quatenus tamen in sponsalibus promissa est, iniqua est ejus solutio, utpote iniquæ promissionis appro-

batio;

batio; secus accidit in solutione usurarum; quia earum promissio ob redemptionem vexæ est valida; item in solutione pecuniæ ob patratum homicidium, utpote cuius promissio non per se, sed per accidens, scilicet ex motione ad peccandum iniqua est, ac proinde sublata iniquitate obligat ad sui executionem, unde mirum non est, juramentum de his pecuniis solvendis esse obligatorium; in Sponsalibus verò pœna apposta ratione sui prohibetur, ac proinde neque ejus promissio, neque solutio ulla ratione honestari potest; & sic mirum non est, juramentum de præstanda hac solutione non esse obligatorium, utpote de re prohibita & simpliciter illicita, non obstante, quòd hæc prohibitio sit tantum à jure positivo, non verò à naturali; adeoque solutio illa sit tantum contra bonos mores civiles, non naturales; idem de promissione solvendi pecuniam amissam ludo vetito sentit Castrop. *l. c. num. 7.* illius solutionem illicitam esse, adeoque nec juramento confirmari. Quod verò atinet quæstionem hinc natam; an recipiens multam pecuniariam promissam in Sponsalibus possit eam solutam retinere, relatis aliorum sententiis *num. 8.* respondet ipse *num. 9.* cum Gutt. *de mat. c. 17. n. 15. & seq.* sub distinctione nimirum, si resiliens solvat illam, ut stet promissis etiam nullis, sciens eam esse indebitam, recipientem eam posse retinere, quousque ad restitutionem compellatur; quia eo casu non solvitur pecunia, quatenus vi promissionis debita, sed donatur promissa, eò quòd promissa sit; jura autem non donationem, sed solutionem vi promissionis factam prohibent seu annullant; si verò promittentia solvat illam, quia credit se obligatum esse, recipientem nullo modo posse eam retinere, quia nullum habet titulum, ratione cuius possit eam retinere.

§. Limitatur è contra responsio ita, ut locum non habeat dicta prohibitio & irritatio in resiliente injustè & per fidem. Castrop. *l. c. n. 3.* (etsi fateatur oppositam sententiam esse communem) citans Coninck. *d. 22. du. 5. concl. 2. num. 29.* Suar. *Tom. 2. de relig. l. 2. de juram. c. 23. num. 5.* Valq. *opusc. de testam. c. 3. d. 2. num. 28.* Laym. *l. 5. tr. 10. c. 1. n. 8.* Pontium *de Sponsal. l. 12. c. 19. n. 8. &c.* Ratio limitationis est, quòd id imprimis non prohibeatur jure naturæ; cum hæc pœna libertatem matrimonii non impediatur, utpote ortum habens ab ipsismet contrahentibus, qui se solutioni pœnæ voluntariè subjecerunt; dein jure positivo solum prohibeatur apponi talis pœna solvenda à justè resiliente; & nullus est textus, quo prohibeatur pœna imponi injustè resilienti, uti id patet ex *c. gemma*; ubi Sponsalia contracta erant ante septennium, à quibus contrahens poterat licitè resilire, ideoque mirum erat, solutione pœnæ obligari seu cogi ad perseverandum in sponsalibus. Neque etiam ex ratione ita decidendi in *cit. cap.* colligi potest, pœnam imponi non posse injustè resilienti. Siquidem ratio movens ad prohibendam impositionem pœnæ hic est, ne matrimonio contrahendo adimatur aut minuatur aliquatenus libertas, at ex eo, quòd injustè cogitans resilire moveatur solutione pœnæ ad celebrandum matrimonium, non minuitur ejus libertas; quia nulla est libertas licita & honesta, quæ illà pœnæ solutione minuatur; cum compellatur ad id, nempe contrahendum matrimonium, ad quod jam jure naturali ac divino adstrictus est vi sponsalium; adeoque à quo abstinendi nullam ampliùs habet

R. P. Loui. Jur. Can. Tomus IV.

potestatem & libertatem (intellige) moralem seu civilem & juridicam, etsi physicam habeat, quam, ne peccaminosè exserat resiliendo, cohibetur illà solutione pœnæ; unde tamen non magis destituitur libertate requisita ad contrahendum validè matrimonium, quàm is, qui ob illatam mulieri injuriam per deflorationem tenetur eam ducere, vel gravem summam pecuniæ dotis loco ei persolvere, dum perterritus & cohibitus illà pecunià solvendà eam ducit; quorum contrarium est in eo, qui ex justa causa potest resilire, adeoque habet libertatem licitam seu moralem non contrahendi matrimonium, quam proinde coarctari illà impositione vetant jura. Quin & positivè probatur à Castrop. *cit. p. 9. n. 3.* limitatio ex eo, quòd teste Sanch. *l. 1. d. 30. n. 9. Gutt. c. 17. n. 7. & 8.* apud eundem licitum sit pœnam apponere contractui sponsaliti; ne conjux concubinam habeat; ne absque legitima causa divortium faciat; quia hæc appositio cedit in favorem matrimonii promissi. Sed neque limitationi contraria est *l. fin. de Sponsal.* nam postquam in ea statuisset Imperator, ut, si tantum unus ex sponsis tradat arrhas in pignus secuturi matrimonii, & culpà recipientis illas non sequatur matrimonium, hic teneatur in duplum (nimirum arrhas restituere, & tantundem de suo patrimonio) imò (si inter partes conventum sit) triplum & quadruplum, si culpabiliter resiliens sit major 25. annis; si autem minor, satisfaciatur solum restituendo arrhas; statim subjungit: *extra definitionem autem leg. hujus cautio pœnam stipulationis continens, vires nullas habebit:* si nimirum contineat pœnam ultra quadruplum arrhæ, de qua immediatè priùs egerat, ut ibid. gl. ergo per hanc legem non reprobatum omnis cautio pœnæ; sed potius stabilitur, & solum reprobatum excessus ultra quadruplum. Sed neque contraria est *l. Tertia.* cum in ea aliud nihil dicatur, quàm quòd non teneatur pœna, de qua persolvenda parentes inficis liberis pacto Sponsalibus adjecto conveniunt; eò quòd iis non debeat aliunde injici necessitas matrimonii contrahendi, in quam ipsi non consenserunt; adeoque hac lege non reprobatum pactum pœnæ persolvendæ ab injustè resiliente, si ipsi liberi in eam consenserunt, dum nimirum ipsi vel eorum parentes ipsis consentientibus de ea pactum iniierunt. Cui proinde legi non derogat, quin potius limitationem nostram stabilis Leo Imperator in *novell. 18.* cujus verba utiliter leges apud Castrop. dum ibidem, ne Sponsalia sursum deorsum ferantur, hoc est, facillimè solvantur ob nimis levem jacturam solius arrhæ faciendam à resiliente, consuetudinem illam solvendi insuper pœnam gravio-rem ex pacto sponsalibus adjecto, in vim legis attolit, & pro vera lege observari vult.

Quæst. 24. an pœna consistens in lucro non acquirendo (adeoque minus propriè pœna) adjici possit Sponsalibus.

1. Resp. primò: hæc pœna constituta ab uno contrahentium, V.G. promittendo; si mihi nupteris, tantum tibi dabo: nisi id fiat ex rationabili causa, est nulla; quia præsumitur facta affectu libidinis, ideoque reprobata à jure, *l. si stipulatus fuero, ff. de V. S. Sanch. l. 1. d. 33. n. 3. Gutt. de mat. c. 20. n. 2. Castrop. p. 10. n. 1.* Secus est, si fiat ex rationabili causa, ut deciditur expressè *c. de illis. de condit. apposit.*, qualiter facta censetur

C

tur

tur ex rationabili causa, si fiat à femina; quia facta præsumitur in dotem, vel si fiat à viro sene vel ignobiliore puellæ nobiliori; quia censetur factam recompensationem juventutis vel nobilitatis, AA. iidem, apud quos uti & Baldum. *cit. l. ita si stipularis fuero*; pro certo habetur, promissionem factam à viro feminae causâ donationis propter nuptias validam esse; quia non est donatio gratuita, sed renunciatoria dotis receptæ, ut habetur *l. si constante. c. de donat. ante nuptias*.

2. Resp. secundò: Valida est promissio ab alienis facta contrahentibus de lucro acquirendo, si nubant; cum hæc non sit pœna, sed præmium matrimonium contrahentibus propositum. Sanch. *l. c. n. 6. Gutt. n. 4. Castrop. n. 4. & apud hunc Mantic, de coniect. ult. vol. II, tit. 18. n. 1. Molin. de primogen. l. 2. c. 13. à n. 1.* Arque ita valida erit donatio vel legatio hæreditatis Titia, si Cajo nubat, Castrop. *l. c. Sanch. n. 7. Gutt. n. 5.* Quin & valebit talis institutio hæredis, tamen si Cajo, cui nuptura Titia, sit illius consanguineus intra quartam gradum, adeoque egens dispensatione pontificia obtentu facili. Idque non tantum, ut vult Sanch. *l. 8. d. 5. n. 19. & 26.* si testator dispensationis meminert, sed etiam, ut Castrop. *n. 5. Molin. l. c. Gutt. c. 26. n. 6.* ubi nulla facta illius mentio; eò quod præsumendus sit eam velle: cum credendum non sit, testatorem velle, ut Titia nubat Cajo contra juris ordinem, vel ut sua institutio caduca fiat: In casu verò, ubi testator meminit dispensationis, & hæc impetratu difficillima. V. G. in secundo gradu consanguinitatis, conditionem illam, utpote fermè impossibilem, rejiciendam & legatum purum subsistere censent Molin. *l. c. n. 12. Henriq. l. 12. de mat. c. 10. n. 4.* Rectius sentiunt contrarium Sanch. *l. 5. d. 5. n. 20. Gutt. c. 20. n. 7.* quibus inhære videretur Castrop. *n. 5.* eò quòd licet ista dispensatio obtentu sit difficilis, non tamen sit absolute impossibilis, cum sæpe concessa. Quòd si tamen dicta conditio: si nubas Cajo; apponatur legitimæ vel aliàs debitæ hæreditati, rejicienda est; cum, quod libere debitum est, nequeat gravari: Mantic. *l. c. n. 11. Molin. l. c. n. 4. Sanch. cit. d. 33. num. 10. Gutt. c. 29. n. 8. Castrop. n. 6.* juxta *l. in prioribus c. de inoff. testam.* Idem est, si nuptia essent indignæ hæredi vel legatario; eò quòd ob difficultatem gravem, quam passurus esset legatarius in ea conditione implenda, jus etiam, ut impossibilem rejiciat. *l. cum ita legatur. ff. de condit. & demonstrat. nisi tamen mulier, cui hoc gravamen imponitur, sit vidua; eò quòd illa, etsi non teneatur nubere indigno, non teneatur tamen à nuptiis abstinere, si velit frui legato; quia in illa dispositione includuntur duo. Primum expressè, ut nubat indigno, quod rejicitur. Alterum tacitè, ut nemini alteri nubat, quod in viduo vel vidua sustineri potest; ita tenent Sanch. Gutt. Castrop. *LL. cit.* Quòd si etiam legatum fiat virgini; si nubat Cajo; ex eo non fieri illud caducum, si ea nubat alteri ex jussu paterno; eò quòd conditio illa sic intelligenda erat, quatenus decenter & honestè impleri potest; decens autem non sit, ut virgo alicui nubat contra voluntatem patris, sustinent Sanch. *cit. d. 33. n. 15. Gutt. c. 20. n. 11. Molin. c. 13. num. 22. Mantic. l. c. tit. 18. in fine apud Castrop.**

2. Plures hujusmodi casus resolutos ex Sanch. à n. 14. & Gutt. c. 20. à n. 12. Vide apud Castrop. à num. 8. quorum aliquos, compendio subjungo. Primus: dum legatum (idem est de hæreditate)

relictum sub conditione; ut nubas nobili, non satisfit huic dispositioni, & consequenter amittitur legatum, si ducas nobilem, & dein factus viduus ducas ignobilem; eò quòd finis talis dispositionis, ne scilicet hæreditas ad ignobile deveniat, procedit æquè in secundo matrimonio, dum æquè in eo liberi procreari possint Sanch. *l. c. num. 14. Gutt. c. 4. num. 22. Castrop. l. c. p. 10. num. 8. Mantic. n. 3.*

3. Secundus: Gravatus ducere aliquam, si requisitus renuit, amittit legatum, ita ut, etiam si pœniteat cum recuperare illud non possit, si legans voluit ipso facto privari non volentem acquiescere dispositioni, illudque applicatur successori. Secus, si non voluit actu privatum; eò quòd tunc, quia nemini adhuc jus quæsitum, & res est integra, sit locus pœnitentiæ. Sanch. *n. 15. Gutt. n. 13. Castrop. n. 9.* cum Palacz. *de majorat. p. 1. q. 50. n. 13.*

4. Tertius: Hæres vel legatarius gravatus ducere Titiam, amittit hæreditatem vel legatum, si aliam duxerit, etiam si dein factus viduus velit ducere Titiam; quia dispositio illa intelligitur de primis nuptiis, non de secundis, nisi tamen hæreditas vel legatum dilatum est pro tempore viduitatis. Molin. *n. 26. Sanch. n. 17. Gutt. n. 15. Castrop. n. 10.* Quin &, si in hoc casu tempore illo viduitatis Titia nubat alteri, legatarius ille non amittit legatum; neque etiam Titiam factam viduam tenetur ducere AA. iidem.

5. Quartus. Legatarius gravatus ducere Titiam, si postquam ea primò renuit, dein annuat, nolit eam tunc ducere, legatum non amittit; quia conditio habetur pro impleta, si dictus legatarius tempore, quo Titia ducenda erat, & hæc renuit, nupit alteri vel legatum adit, vel si non adit, legatum est non quantitatis, nempe pecuniæ, triticij; sed speciei nempe domus vel fundus. Si verò, nec nupit, nec legatum adit, nec illud est speciei, perdit legatum, si Titia denuo consentiente, ipse abnuat; quia in hoc casu omnia sunt integra; ita Sanch. *n. 18. cum Mantic. à n. 38. & Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 103. à n. 3.* apud Castrop. *num. 11.*

6. Quintus: Hæres vel legatarius gravatus ducere Titiam, eâ requisitâ renuente, non amittit hæreditatem vel legatum; Eò quòd talis videatur gravari ad matrimonium contrahendum, non absolute, sed sub conditione, si Titia consenserit adeoque eâ renuente, cessare gravamen, & conditio reputetur impleta per *l. 1. c. de institut. & substitut.* Molin. *n. 14. Mantic. n. 37. Menoch. l. c. num. 25. Sanch. n. 19. & 20. Gutt. n. 8.* apud Castrop. *n. 12.* Idque licet Titia non expressè reculer, sed virtualiter, apponendo malitiosè impedimentum, ne à gravato requiratur ad nuptias. Molin. Sanch. Gutt. *LL. cit.* ita tamen, ut gravatus protestationem suæ intentionis ex mandato Judicis præstare debeat ad domum ipsius mulieris, ejusque consanguineis notam facere, ut de mulieris malitia & de gravati diligentia constet. AA. iidem. Illud hic notandum cum Sanch. *n. 21. Gutt. num. 19.* & alii communiter, quòd prædicta solum procedant in ultimis voluntatibus, quarum favore introductum est. *l. 1.* & aliis, ut dispositionis conditio censetur impleta, quoties per gravatum non fuerit gravaminis executio; non verò in contractibus irrevocabilibus inter vivos; sed in his necessariò conditio in specifica forma sit implenda, aliàs donatum deficiat, nisi aliud à donante exprimat.

matur.

mat. Nihilominus ait Castrop. n. 13. remittens ad Molin. quod etsi hæc sit sententia communis, & secundum illam consulendum, probabile tamen satis sit, & æquitati non parum conforme, donatarium, cui donatum conceditur sub conditione dependente ab alterius voluntate, retinere posse donatum, si per ipsum non fuerit conditionis adimpletio; eò quod subintelligendum sit, donatum concedi sub conditione non impossibili, sed possibili, & rationabili, adeoque quatenus à donatario dependet.

7. Sextus. Dum Titia sit legatum sub hac forma: lego Titia, si Cajus cum ea contraxerit; & Cajus recuset, inspiciendum est, cujus favore testator voluerit matrimonium contrahi. Si id factum favore Titia, obtinebit legatum; Secus, si favore Caji, Sanch. n. 22. Gutt. n. 20. ques sequitur Castrop. n. 14.

8. Septimus. Si alicui fiat legatum, vel donatio, ut faciat contrahi aliquod certum matrimonium, & is etiam omni diligentia efficere id nequiverit, non obtinere legatum, eò quod hæc non sit pœna, sed præmium propositum, quod non censetur oblatum, nisi effectu secuto, sentiunt Sanch. n. 23. Gutt. n. 21. credit nihilominus Castrop. cit. n. 14. talem posse retinere legatum; quia secundum dicta in ultimis voluntatibus censetur impleta conditio, quoties is, cui imposita, non est in culpa exequendi illam; Secus verò esse quoad donatum; quia in donationibus istiusmodi conditionatis ex communi sententia non spectatur diligentia, sed effectus secutus.

9. Octavus. Dum conditio pendens à plurium voluntate deficit, v. g. si Titia instituta hæ res vel legataria, si nubat Cajo, & Cajus moriatur, debet hereditatem vel legatum Titia; non verò, si ipsa moriatur Titia, debet ei res hereditibus, tradit Molin. Jesuita de just. tr. 2. d. 206. & 207. apud Castrop. n. 15. verum, ut apud eundem Molin. Juslita l. c. à n. 23. Mantic. n. 37. Menoch. præsump. 183. num. 40. & 41. Sanch. num. 24. Gutt. n. 22. & habet communis in utroque casu perire hereditatem & legatum concessum sub conditione nuptiarum, ut habetur L. legatum c. de conditionib. insert. nisi suppleatur conditio à jure, uti contingit, dum ex malicia patris non gravata nuptias recusat. Cujus sententia tamen plures vide limitationes apud Castrop.

10. Nonus. Legatum relictum determinatæ personæ, si matrimonium contrahat, conceditur eidem, si matrimonium spirituale ineat ingredientem religionem. Covar. L. 1. var. c. 19. n. 10. Menoch. L. 3. præsump. 148. à n. 13. Gutt. n. 27. & l. 1. 99. can. n. 20. Sanch. n. 29. Molin. Jesuita l. c. d. 707. concl. 1. Castrop. n. 18. juxta expressam decisionem, §. sed hoc præsentis. auth. de sanctiss. Episc. collat. 9. & auth. nisi rogati. eod. ad Senat. Consult. Trebell. cujus resolutionis ait Castrop. frivolam esse rationem, quam tradunt aliqui, nimirum quod hac ratione præcludatur via statui perfectionis; eò quod viam illam non præcludat, etsi statum matrimonii, quod bonum est, foveat; cum puella possit relicto legato amplecti religionem, & nemo obligetur bona sua in opera perfectiora exponere, sed sufficiat expendere in opus honestum, quale est dotare puellas pauperes. Proinde aliud hujus resolutionis est fundamentum, nempe præsumptio juris de voluntate testatoris, qui creditur in legato factò determinatæ personæ in matrimonium collocandæ, solum spectasse, quod tali personæ utile est, collocando

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

eam in statu decente, qualis status utilis illi, & decens est religio. Extenditur quoque resolutio, ut legatum relictum certæ personæ, ut in matrimonio collocetur, illi obveniat, etsi tempore conditi testamenti nupta esset, ne dispositio testatoris irrita censetur. Sanch. n. 32. Gutt. n. 28. Tiraq. de caus. cessante. limit. 8. n. 4. apud Castrop. n. 20. Secus tamen est, si legatum relictum personæ determinatæ, non simpliciter, ut matrimonium contrahat, sed expressè, ut illud contrahat cum determinatâ personâ; eo ipso enim satis exprimit, se velle matrimonium carnale, Castrop. cit. n. 18. adeoque etiam, ut idem, si persona illa, cui nubere debebat, jam obierat, antequam ipse esset in mora, necessariò debet nubere, si legato frui velit; quia id in casu non conceditur ob vitam cælibem, sed ob matrimonium. Nihilominus frui adhuc posset legato ex præsumpta in eo casu testatoris voluntate, si religionem ingrederetur. Si quidem eum cessaverit matrimonium, cum determinatâ personâ contrahendum, & solum relinquatur obligatio matrimonii contrahendi, credit præsumptio juris, velle testatorem tam ad nuptias spirituales, quam carnales concedere legatum. Ita Castrop. de cætero legatum relictum non personæ determinatæ, sed indefinitè puellis maritandis, obvenire nequit puellis ingredientibus religionem; eò quod Auth. de sanctiss. Episc. collat. 9. solum est de legato relicto certæ personæ; adeoque trahi non debeat ad legatum incertis personis relictum; cum sit dispositio exorbitans à jure communi, quod exigit condiciones in forma specifica & propria non ficta impleri. L. Mevius. & l. qui hæredi. ff. de condit. & demonstr. religio autem, non propriè, sed juris fictione vocetur matrimonium. Sanch. n. 29. Gutt. n. 27. Mantic. n. 26. & c. Secus tamen adhuc est, dum legatum relictum indefinitè pro puellis consanguineis testatoris, ita ut hæ religionem ingressæ illud obtineant; eo quod in hoc casu propter affectionem testatoris legatum recipiat latam interpretationem. l. Aurelius. ff. de liber. legat. censeturque ac si factum determinatæ personæ, Castrop. n. 19. Sanch. n. 32. Gutt. cit. n. 22. Mantic. l. 8. de conject. ult. volunt. ut. 5. n. 22.

Quest. 25. An pœna lucri non acquirendi retrahens à nuptiis valide adjici possit legato vel donationi.

R. Esp. primò: Pœna hæc in ultimis voluntatibus Rapposita ei, qui nunquam matrimonium contraxit, & consummavit, hæc v. g. ratione: instituo te hæredem, vel lego tantum, ne in eas matrimonium; est nulla, remanetque hereditas & legatum relictum subjeçti conditione purum, exclusâ illa conditione, seu dictâ pœnâ tanquam impossibili (pœna enim illa, ut contraria bono communi reipublicæ, cui expedit filiorum procreatione ex legitimo matrimonio augeri, reprobat à jure. l. 2. c. de indicta viduit. tollend. Conditiones autem à jure reprobatæ impossibiles reputantur, l. conditiones que contra bonos mores ff. de conditionib. institut.) Sanch. l. 1. d. 34. à n. 2. Gutt. de matr. c. 21. à n. 1. Castrop. p. 11 n. 1. juxta quod expressè habetur, l. quoties. l. cum tale. l. Titia si non nupsit. ff. de condit. & demonstr. & s. impossibilis. inst. de hæred. inst. Nisi tamen forte favore libertatis dicta conditio fuisset adjec-ta. Sic v. g. dum legantur Titia 100. ne nubat, & si nupsit, applicatur ad concedendam servo alicui libertatem, tenet conditio, & Titia nubens amittit legatum, illudque servo applicatur ex l. si Titio. ff. de condit. & demonstr. Idem est de favore piæ causæ, ut si legentur Titia 100. ne nubat, & si nupsit, applicentur

pauper.

pauperibus alterive loco pio. Prout ex *cit. L. deducunt Tiraq. de privil. pia causa. privileg.* 18. Sanch. *cit. d. 38. n. 34.* Mantic. *de conseqt. ultim. volunt. l. 11. tit. 18. n. 8.* Gutt. *c. 21. n. 36.* apud Castrop. *n. 10.* Nihilominus tamen etiam sustinenda est conditio prohibens nuptias pro aliquo determinato tempore, modò id non sit ita longum, ut eo transacto commodè matrimonium iniri non possit, aliàs enim esset prohibitio absoluta, & perpetua, Sanch. *n. 6.* Gutt. *n. 37.* Mantic. *tit. 19. n. 9.* Castrop. *nu. 18.* qui etiam adjicit hanc rationem; quòd, cum nuptiæ non sint nisi consultò celebrandæ; meritò jus permittat pro aliquo tempore illis interdici, ne absque matura deliberatione fiant. De cætero, quòd tempus sit moderatum, relinquatur Judici arbitrandum. Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* Illud certum, prohibitionem nuptiarum usque ad ætatem 25. annorum justam esse; quia ea dilatio jure approbata. AA. iidem.

2. Resp. secundò: dicta conditio, seu pœna appositæ ex contractu irrevocabili inter vivos ei, quinunquam matrimonium contraxit, & consummavit, non excluditur à contractu, sed eum omnino vitiat, Castrop. *num. 2.* dicens id omnino receptum esse, Arg. *§. si impossibilis. instiuit. de inutilib. stipul.* ubi: *Si conditio impossibilis obligationibus adjicitur, nihil valet stipulatio.* Item *l. non solum. ff. de action. §. oblig. l. si super impossibil. ff. de fidejuss.* Ratio autem, cur dicta pœna in modum conditionis adjecta ultimis voluntatibus ab eis excludatur, appositæ verò contractibus ab eis non excludatur, relicto in valore suo contractu, sed eum vitiet, seu faciat nullum, hæc assignatur à Castrop. *l. c.* ne aliàs dispositio testatoris, quam ipse, utpote non amplius superstes, emendare non poterat, corrueret; promittens verò & donans, utpote post contractum suum superstes, emendare illum possit, jura noluerunt contractum talem sustinere rejecta conditione, sed potius voluerunt eum nullum esse, ut integrè à contrahente emendaretur.

3. Dixi signanter in utraque responsione: *ei, qui nunquam matrimonium contraxit, & consummavit*: Nam si viduus aut vidua esset, cui apponitur ea conditio non nubendi, ea non secluditur, sed est exequenda. Idque attentò jure novo authenticarum, quo jus antiquum digestorum corrigitur, ut constat ex *auth. de nuptiis. §. que verò. collat. 4.* & *auth. cui relictum. c. de indicta viduit. honestum enim est à secundis nuptiis abstinere, c. fin. 30. q. 1.* tum ne videatur indulgeri voluptati; tum ne prior conjux videatur minus æstimari. Ac ita docent Molin. *de just. tr. 2. d. 257.* Sanch. *l. 1. d. 34. à n. 79.* Gutt. *de matr. c. 21. à n. 32.* apud Castrop. *n. 10.*

4. Ex dictis deducuntur sequentia. Primò, posse aliquem hæreditatem vel legatum relicto sub conditione non nubendi adire, tamen si primò & iteratò nubat; eò quòd esto, obligari quis possit, ne secundas nuptias ineat, at cum ex modo & forma, quæ apponitur dicta conditio, nuptiæ illi interdican- tur, conditio illa ut turpis & impossibilis rejiciatur, & legatum purum subsistit. Gutt. *n. 8.* Sanch. *n. 5.* Acofta *in cit. l. cum tale. §. si arbitrari. limit. ult. n. 5.* Castrop. *p. 11. n. 2.* Secundò rejici illam conditionem, dum legatur femina non nubenti major quantitas quàm nubenti, quia excessus retrahit à nuptiis, & est expressè contra *l. Titia si nupserit. ff. de condit. & demonst.* Sanch. *n. 6.* Covar. *l. 1. var. c. 19. n. 9.* Castrop. *n. 3.* Tertiò: si legatum sic factum: *lego Titia 100. si non nupserit*; quòd si nupserit, restituat Cajo; Titiam nubentem posse retinere legatum;

quia est conditio retrahens à nuptiis, ideoque reprobata, Sanch. *n. 9.* Gutt. *n. 11.* Castrop. *n. 4.* juxta *L. quoribus. ff. de condit. & demonst.* Quartò: Legatum factum alicui tertio hac conditione: *Si Titia non nupserit*, Titia nubente legatarius amittit legatum, si fuerit Titia conjunctus sanguine, affinitate, amicitia aliove modo, ita ut meritò præsumi possit, Titiam exinde retrahendam à nuptiis, Secus, si non fuerit illi conjunctus, Sanch. *nu. 10.* Gutt. *n. 12.* Castrop. *n. 5.* Quintò rejici conditionem, & remanere purum legatum factum sub conditione ex alterius consensu & arbitrio, *l. cum tale. ff. de condit. & demonst.* cum vel sic diminuatur libertas matrimonii, & legatarius retrahatur à nuptiis; cum alter ille posset denegare suum consensum in eam personam; quæ legatario placet, Molin. *de primogen. l. 13. n. 35.* Sanch. *à n. 19.* Castrop. *n. 6.* Secus esset, si legatum factum sub conditione petendi consilium; quia ad hoc sequendum non astringitur legatarius, Molin. *nu. 37.* Sanch. *nu. 24.* quin &, si is, à quo petendum consilium, sit absens, & periculum in mora, aliaque viâ peti nequeat consilium illius, posse legatarium contrahere matrimonium irrequisito consilio, & obtinere legatum; quia per ipsum non stetit executio conditionis, docet Sanch. *à n. 25.* Gutt. *n. 24.* tenetque id ipsum, si vivo testatore decedat is, à quo petendum consilium, Sanch. *n. 27.* Gutt. *n. 30.* Castrop. *l. c.* de cætero extenditur hæc illatio ita, ut etiam si legans expresserit voluntatem suam verbis negativis, privantibus hæreditate vel legato eum, qui absque consensu alterius designati (etiam parentum, quorum consensum requiri sit honestissimum, noluit tamen jus in favorem libertatis matrimonii testatoribus concedere potestatem imponendi eam obligationem suis hæredibus & legatariis) nupserit, adhuc legatarius obtrineat legatum; cum conditio illa ex se, & non ex addita expressè privatione hæreditatis vel legati, minuat libertatem matrimonii, & retrahat à nuptiis; ergo si simpliciter appositæ rejicitur à legato, rejicienda quoque est ab eo appositæ expressè hæreditatis privatione. Castrop. *n. 8.* citatis Molin. *num. 35.* & Molin. *Jesuita tr. 2. d. 207.* Sanch. *n. 21.* Henricq. *l. 1. de matr. c. 12. n. 6.* contra Gutt. *à n. 18.* & alios. Non obstante huic extensioni, quòd, ut admittit Castrop. hæres vel legatarius obligari possit sub privatione hæreditatis vel legati ad nubendum certæ personæ absque eo, quòd per hoc retrahatur à nuptiis; quia non est paratio de obligatione nubendi ex alterius consensu; cum is vi hujus dispositionis non cogatur ad præstandum consensum, etsi officio Judicis suppleri possit. Sextò denique rejici conditionem: *Si non procreaverit liberos, seu sine liberis decesserit.* Nam gratiâ procreandæ sobolis rejicitur conditio averrens à matrimonio, adeoque multò magis averrens directè à procreatione liberorum. Sanch. *num. 7.* Gutt. *num. 9.*

Quest. 26. Num valida sit conditio appositæ in ultima voluntate, vel contractu inter vivos retrahens à nuptiis spiritualibus, hoc est, statu Clericali vel religioso.

Resp. affirmativè, Castrop. *cit. p. 11. n. 12.* & apud hunc Molin. *de just. tr. 2. d. 207. ad finem.* Sanch. *l. 1. d. 34. n. 11.* Gutt. *de matrim. c. 21. n. 14.* conditiones enim appositæ in contractibus & ultimis voluntatibus licitæ & honestæ sunt exequendæ, quam-

quamdiu à jure non reprobantur; talis autem est dicta conditio; quia eo sine non apponitur, ut legatarium vel donatarium à statu ecclesiastico vel religioso retrahat; sed ut familia conservetur, & res publica sobolis procreatione augeatur; & nullibi reperitur à jure reprobata; esto enim in *cit. Authent. de Sanctiss. Episcop.* matrimonio aequiparetur religio, id tamen extra illum casum speciale, de quo ibi, non est extendendum; cum à jure communi exorbitet, argumentum à matrimonio carnali ad spirituale valet, dum in utroque adest finis legis, & dispositio nemini præjudicat; in præfenti autem, conditio retrahens à matrimonio carnali ideo rejicitur, quia obstat procreationi liberorum, & auctiori republicæ præjudicat; qui finis non procedit in matrimonio spirituali. Unde jam etiam deducunt citati AA. validam & observandam esse dispositionem, quæ patet legat filia 200. si nupsit, & non nisi 100. si religionem ingrediatur; quia hæc dispositio non fit animo avertendi filiam à religione, sed quia ad onera matrimonii portanda pluribus eget.

Quest. 27. Num rejici debeat conditio incundi matrimonium spirituale seu ingrediendi religionem adjecto legato vel hereditate.

R Esp. Negative, Sanch. l. 1. d. 33. num. 15. Molin. *cit. d. 207. Covar. l. 1. var. c. 19. num. 10. Ant. Gomez, var. c. 12. num. 78. Castrop. cit. p. 11. num. 13. contra Riminald. conf. 215. à num. 176. Bartol. conf. 45. quia licet religio sit status excludens omnino nuptias, id tamen testator per se & directe non intendit, sed solum incitare ad statum religionis perfectissimum; textus autem reprobans conditionem retrahentem à nuptiis loquuntur de retractione per se & directa, ut videre est in *l. quoties. l. cum tale. l. Titia. ff. de condit. & demonstr.* Verum num hæres vel legatarius ingrediens religionem animo perseverandi, si postmodum egrediatur ex novitatu, satisfaciat huic conditioni, non conveniunt AA. negant Paulus in *l. si quis hæredem. c. de substit. & Instit. num. 3. Alex. ibid. num. 2. & in l. in substitutione. ff. de vulgari. num. 12. & ibid. Inol. n. 4. ed quod testatoris intentio esse videatur, ut legatarius assumat statum religionis firmiter & perseveranter, sitque verus religiosus. Contrarium tamen probabilitus censet Castrop. n. 15. ed quod, si testator restringere voluisset intentionem suam ad perseverandum in religione, id exprimeret debuisset, & non uti verbis generalibus usitatis & communibus, nempe ingrediendi religionem, vel fieri religiosum, quæ juxta communem loquendi modum (qui in legibus & dispositionibus ultimarum voluntatum spectandus est) satis verificantur per assumptionem habitus religiosi; neque enim præsumendus est testator disponere contra juris ordinem; neque verba in alia strictiore significatione lumere, quam à jure communi sumantur. Confirmat hæc à simili Castrop. dum juxta D. Thom. 2. 2. q. ult. a. 4. & communem satisfit voto ingrediendi religionem, si animo perseverandi quis ingrediatur, tamen postmodum exeat, modò id fiat ex rationabili causa; ed quod talis vovens intelligatur vovere religionis ingressum, qualis est à jure præsumptus cum libertate egrediendi, si religio displiceat.**

Quest. 28. An subsistat conditio sub privatione hereditatis vel legati, si nubat extra familiam vel oppidum, vel ne nubat ignobili aut descendenti ex Judæis.

R Esp. Affirmative. Castrop. p. 11. n. 17. citatis Molin. d. 207. circa finem. Sanch. l. 1. d. 34. num. 39. Gurr. c. 21. num. 40. & 41. &c. juxta *l. cum ita, & seq. ff. de condit. & demonstr.* ubi deciditur: esto, quod ad personas, quibus cum contrahendum matrimonium, restringatur potestas, absolute tamen non restringitur, cum liberum sit virgini, cui prohibitum aliis nubere, & absque gravi difficultate id præstare potest. Adhæc, ut Castrop. conditio retrahens à nuptiis rejicitur ab ultimis voluntatibus, non jure naturali, sed positivo; jus autem positivum rejicit conditionem absolute retrahentem à nuptiis, non vetò retrahentem à nuptiis singularibus & determinatis; cujus etiam est ratio, quod ex absoluta prohibitione nuptiarum impeditur sobolis procreatio & republicæ augmentum, sed non ex prohibitione aliquarum nuptiarum; quin etiam prohibitio specialium nuptiarum utilis esse potest testatori; non vetò absoluta quarumcunque. Porro procedit responsio, non solum de primis nuptiis, sed & de secundis & reliquis nuptiis; quippe in omnibus est eadem ratio, ne nimirum testatoris bona ad extraneos, vel sanguine infectos deveniant. Gurr. num. 41. Sanch. l. c. num. 34. Castrop. num. 17. proceditque item, modò matrimonium sit validum, esto, non sit consummatum; cum satis sit potuisse consummari. AA. iidem.

Quest. 29. An & qualiter conditiones aliæ adjectæ contractui sponsalium eundem vitient.

1. **R** Esp. primò: Conditio necessariò futuræ, V. G. si sol ceras oriatur; adjecta sponsalibus æquè relinquit ea valida, ac si nulla conditio adjecta esset; Ratione enim necessitatis reputatur quod ad obligationem, ac si jam evenisset. §. *conditio. Instit. de V. O.* ubi t *que enim per rerum naturam sunt certa, non morantur obligationem &c.* suspendit nihilominus executionem sponsalium, quæ fit per initum matrimonium, donec re ipsa eveniat, & ideo prius non obligaris ea sponsalia exequi, Castrop. p. 16. num. 2.

2. **R** Esp. secundò: Conditio impossibilis vitiat contractum sponsalium; turpis vetò suspendit illum, quousque ponatur. Castrop. num. 4. citatis *Rebell. l. 2. de matrim. q. 10. f. 5. Pont. l. 2. de sponsal. c. 7. n. 3. contra Sanch. l. 5. d. 17. n. 2. & alios apud illum consentes, conditiones tam turpes quàm impossibiles, sicut excluduntur à matrimonio seu in favorem illius, habentur pro non adjectis; sic etiam habere se respectu sponsalium, ut pote quæ via sunt ad matrimonium. Ratio responsionis est, quod jure naturæ conditio impossibilis vitiet contractum, turpis vetò illius obligationem suspendat; hoc autem jus naturæ correctum, non est in sponsalibus, sed in matrimonio, in *c. fin. de condit. apposit.* ex eo autem, quod correctum sit in matrimonio, non magis sequitur, quod correctum etiam sit in sponsalibus, quàm*

quàm ex eo; quòd matrimonium clandestinum redditum sit invalidum jure novo, sequatur, idem dicendum de sponsalibus clandestinis, *l. oratio*, ratio verò probans dispositum de matrimonio, dispositum quoque esse de sponsalibus, solum obtiner, ubi in utroque est eadem ratio. V. G. in personis inhabilibus ad contrahendum matrimonium, dum hæc etiam contrahere nequeunt sponsalia.

3. Resp. tertio: Conditiones possibiles & honestæ adjici possunt sponsalibus. Tamest autem contractus ille, quousque conditio eveniat non constituit sponsalia; quia non inducit obligationem contrahendi matrimonii; inducit tamen absolutam obligationem expectandi conditionis eventum, proinde si interea sponsalia absoluta contrahantur, hæc nulla sunt, quia obligationi obstant. Sanch. *l. 5. d. 8. Pontius l. 12. c. 7. n. 1. Castrop. p. 16. n. 5. Cöninck. d. 29. du. 1. n. 21.*

Quæst. 30. An impediti contrahere sponsalia sub hac conditione: si Papa dispensaverit; ea contrahere possint.

1. **R** Esp. Quamvis sententiam negativam probabilem dicat Castrop. affirmativam tamen tanquam veriotem amplectitur, citatis pro ea Cöninck ubi ante concl. 5. n. 18. Pont. *l. 3. de matr. l. 15. n. 2. Sanch. cit. d. 5. à n. 12. Rebell. l. 2. de matr. q. 10. f. 6.* Ratio est, quia talis conditio est possibilis (contra quod sentiunt plures apud Sanch. *n. 5.* eò quod, quæ à voluntate Principis pendent, censeantur quasi impossibilia, *l. 1. l. stipulatio. l. continuus. ff. de V. O.*) & est honesta (contra quod sentit Henricq. *l. 12. de matr. c. 10. n. 4.* eò quòd eà positâ juri communi derogetur, quod servare honestius, quàm in eo dispensationem procurare) illud enim reputandum est honestum & possibile, quod sæpe honestè fieri solet; sed positâ causâ legitimâ, sæpe solet, quandoque debet dispensare Papa in impedimentis matrimonii, Confirmatur à simili: votum factum ab Episcopo ingrediendi religionem, si Papa dispensaverit, est validum; litigantes super beneficio, licitè paciscuntur de pensione concedenda, si Papa permiserit. Neque primò obstant citatæ paulò ante leges; quia intelligendæ sunt, quòd conditio illa reputetur turpis, quando non adest causâ legitima dispensandi, vel etiam impossibilis, quando in ea Princeps non solet dispensare. Neque secundò, *l. inter stipulantem. ff. de V. O.* ubi, quòd nulla sit stipulatio de re sacra, publica, vel de homine libero, etsi res sacra fieri potest profana, publica, privata, homo liber servus; quia stipulatio non secundum tempus futurum, sed secundum tempus præsens est mensuranda; nam stipulatio talis conditionata: si res sacra fiat profana, sive stipulatio talis relata in tempus, quo fiat profana, tanquam turpis annullatur à jure; quia est conditio incivilis, tristis, derogans dignitati & statui hominis liberi, rei sacre, publicæ, ideoque potius timenda quàm expectanda, secus ac res se habet in conditione dispensationis in impedimento matrimonii.

2. Verùm circa talem contractum notanda sunt sequentia: Primò nemini ex taliter contractibus licitum esse resilire, neque ante, neque post impetratam dispensationem, Castrop. *l. c.*

n. 10. Sanch. l. c. d. 5. n. 13. Pont. l. c. c. 13. n. 21. contra Gutt. l. 1. q. 9. can. c. 22. à n. 17. Rodriq. tr. 1. c. 244. n. 9. siquidem contrahentes sub conditione sibi invicem obligantur ad rem promissam non absolute, sed dependenter à conditione; sed si unusquisque eorum pro libitu resilire possit ab obligatione, sibi invicem obligati non essent; Neque his obstat, (quod est fundamentum contrariæ sententiæ) quòd impuberes contrahentes obligentur, & licet durante impubertate non possint resilire, possint tamen id facta pubertate: nam id non jure naturæ, sed à jure positivo favore ætatis concessum. Secundò ante impletam conditionem contractum illum non esse sponsalia; quia non est obligatio absoluta & directâ matrimonii contrahendi; quod necessariò ad sponsalium valorem, ex quibus oritur impedimentum publicæ honestatis, requiritur, ut deciditur *c. 1. h. r. in 6. Castrop. num. 11.* Tertio adveniente conditione, opus non esse novo consensu, sed consensus & contractus prior jam evadens absolutus constituit vera sponsalia; cum obligatio conditionata conditione positâ transeat in absolutam. Castrop. *l. c. Pont. l. 3. c. 14. n. 7. Cöninck d. 29. d. 1. n. 2. Sanch. l. c. num. 24. contra Henricq. l. 12. de matr. c. 13. in fine.* Quarto dispensationem illam communibus sumptibus procurandam (nisi fortè pars una expressè se obligaverit) quia negotium commune est. Sanch. *n. 37. Cön. l. c. Castrop. n. 12.* Quintò, de cætero eum, qui promissit consanguineæ matrimonium sub dictâ conditione, si Papa dispensaverit, teneri eam procurare, tenet Tabren. *V. Sponsalia q. 8. mm. 9. Acmill. n. 11. Per. Ledesma. de matr. d. 5. q. 6. num. 36.* quos refert & sequitur Sanch. *num. 36.* eò quòd matrimonium illud cum perfici nequeat sine dispensatione, promittens illud, tacitè promittit, quæ ad illius consecutionem sunt necessaria. Contrarium nimirum nullam esse obligationem procurandi dispensationem, & quidem, etiam si sub dictâ promissione matrimonii violata sit virgo, tenet Castrop. *cit. num. 12.* citatis Nav. *l. 4. constit. de sponsal. cons. 25. Cön. du. 2. num. 35.* eò quòd positò, quòd non promiserit quis procurare dispensationem, ad eam procurandam obligari nequit, nisi quatenus se obligavit ad contrahendum matrimonium; ad illud autem se non obligavit absolute, sed positâ dispensatione, quam procurare non promissit; non secus ac qui promissit matrimonium sub conditione; si pater consentiat, non exinde tenetur procurare patris consensum, sed is eum procuret, cujus interest. Addit tamen Castrop. quòd, si quis promittens puellæ matrimonium, dixerit, se facile impetraturum consensum, & sub ea spe puella deflorationi consentit, teneri illum dispensationem (etsi non solis suis sumptibus) procurare; quia eo casu tacitè vel potius expressè eam procreationem promissit, ut Cöninck. *n. 35.*

Quæst. 31. An valeat pactum sponsalibus adjectum, quòd virteneatur in certo loco commorari.

1. **R** Esp. primò: Si pactum tale sit de commoratione in certo loco pro determinato tempore, licitè apponitur contractui tam sponsalium quàm matrimonii; quia obligatio permanendi in aliquo loco pro aliquo determinato tempore

ob honestam causam assumpta ex propria voluntate libertati naturali contraria non est. Castrop. l. c. p. 15. §. 2. n. 1. dicens esse ferè communem.

2. Resp. secundò: si verò sit de habitatione perpetua, Dinus, Bart. Bald. Alberic. in l. Titio centum. §. eodem ff. de condit. & demonstr. & plures alii apud Castrop. l. c. n. 2. censent esse invalidum, & pœnam impositam non servanti non debent. E contra validum esse tale pactum, probabilis tenent Castrop. n. 3. citatis additionat. ad Bartol. in cit. l. Titio centum. Host. in sum. de coning. servor. n. 5. Sylv. v. uxor. q. 8. Rebuff. de privil. Scholast. privil. 77. in fine. Pont. l. 12. de Sponsal. c. ult. n. 3. & 8. Gutt. de mat. c. 23. n. 25. Sanch. d. 40. à n. 2. Tale enim pactum non reprobatur jure positivo, ut constabit ex mox dicendis; quin approbatur l. cum scimus. c. de agricol. & censuris; ubi deciditur, posse quemvis se efficere colonum adscriptitium obligatum fundi culturæ perpetuo insistere, neque inde sine licentia domini recedere. Neque repugnat juri naturæ; quia non admittit libertas, etsi aliquantulum restringatur, quæ restrictio propria voluntate admissa est licita, & honestatur ob traditam sibi uxorem, & bonum, quod inde accipit, sicut honestatur obligatio, quam moniales contrahunt manendi in certo monasterio; quin & est matrimonio favorabilis, dum unius domicilii electio & retentio individua & inseparabilem conjugii vitam fovet; & esto, uxor viro subdita sit, illumque constituentem sibi domicilium sequi teneatur, potest tamen vir ipse obligare se uxori, quòd extra talem locum domicilium non constituat, cum nulla in hac obligatione sit turpitudine; præsertim cum unusquisque possit rem propriam tradere sub conditione, quæ sibi placet. l. in traditionib. ff. de pactis. c. verum, de condit. apposit. approband. que sit talis conditio habitandi in aliquo loco, dum exigitur ab eo, qui in eam personam, à qua exigitur, jus aliquod habet vel habiturus est, ut uxor jus in maritum habet, & sponsa in sponsum habitura est. Neque his obstat cit. l. Titio centum, ubi dicitur: Titio centum relicta sunt ita, ut de monumento meo non recedat; vel in illa civitate domicilium habeat, dici potest non esse locum conditioni, per quam jus libertatis infringitur &c. Nam id verum est, seu rejicienda à Legato est conditio, quando eidem vanè & inutiliter apponitur; secus, quando justè, utiliter & in favorem alicujus statuitur, ut contingit in præsentem, dum cedit conditio in maximum uxoris favorem, ne patriâ desertâ & consanguineis relictis cogatur inter extraneos vivere. Gutt. c. 23. n. 15. Sanch. l. c. Acofta. l. 2. selectar. interpret. c. 19. num. 5. Castrop. n. 10. qui etiam ibidem ex eodem Acofta. notat, diversa esse legare 100. Titio sub conditione, quòd in tali loco habitet, & legare ei, dum in tali oppido fuerit; & in priori rejici conditionem, legato subsistente, si in nullius favorem cedat ista conditio, utpote quæ servitutis speciem contineat; in secundo verò retineri conditionem, etsi in nullius favorem cedat; eò quòd non gravetur legatarius ob legatum ad

onus sustinendum, sed spe legati obtinendi alliciat ad portandum onus.

3. Ex dictis deducuntur sequentia; primò, posse similiter apponi pactum non ingrediendi talem vel talem urbem, eò quòd abstinere ab ingressu civitatis, ex quo oriri possunt iuxta aliave gravia incommoda, honestum est, & reipublicæ conveniens, adeoque ad hoc obligari quis potest. Castrop. l. c. n. 12. Pont. l. 12. de mat. c. 20. n. 9. secundò tamen pœna appositæ Sponsalibus pro eorum securitate reprobetur c. gemma. h. r. non tamen ea, quæ apponitur in matrimonii favorem, & ob mutuam conjugum cohabitationem; adeoque, si sub aliqua pœna obligetur maritus ad non mutandum domicilium, tenei cum eam solvere interveniente sententia, Castrop. n. 4. citatis Abb. in c. 1. qui matrim. accus. poss. n. 5. Alex. n. 6. Pont. c. 20. n. 8. Sanch. l. 1. d. 40. num. 5. Gutt. c. 23. n. 16. Tertio uxorem non obligari sic descendente maritum comitari; cum pactum hoc eo fine, præcipue ne uxor cogatur relinquere patriam, parentes, consanguineos, quòd durum est, adjectum sit. Castrop. n. 6. Sanch. num. 6. Gutt. n. 18. Quarto, maritum descendente injustè à loco promisso posse ab uxore vindicari, ut in loco promisso demoretur, quia uxori infert injuriam eam injustè deserendo. Gutt. l. c. Castrop. n. 5. & apud illum alii.

4. Porro num maritus obligationi suæ satisfaciatur solvendo uxori interesse, etsi in loco promisso non habitet, in eo non conveniunt AA. Covar. 4. decret. p. 2. c. 7. n. 5. Gutt. l. c. & plures alii affirmant, eò quòd promittens factum, si solvat, quòd interest promissarii, ab obligatione liberetur. l. in stipulationib. l. stipularionis. de V. O. Nihilominus contrarium tenent Castrop. num. 8. cum Pont. l. c. n. 7. eò quòd optimè quis possit obligari ad factum præciè, ut Gutt. de juram. confirmator. p. 1. c. 39. n. 5. dicta autem obligatio manendi in loco promisso est juri naturali conformis; est etiam jure civili permilla. l. juris gratiæ ff. de pactis, & jure canonico approbata; c. qualiter. de pactis; sæpe enim paciscenti interest factum, quo calu, ut Bald. in l. cum precibus, c. de rerum permut. n. 1. satisfieri non potest solutione pecuniæ uxori paciscenti, ne maritus ex rati loco discedat, quia omnibus divitiis habitationem mariti in eo loco præfert.

5. De cætero hucusque dicta procedunt, modò non emergat causa nova mutandi domicilii; V. G. quia locus sanitati mariti est nimis noxius, vel in eo capitales inimicitias contraxit; quia tunc non tenetur stare promissis etiam juramento firmatis, absque ulla obligatione solvendi pœnam aut interesse. Pont. n. 8. Sanch. d. 40. n. 3. Gutt. c. 28. n. 17. Tiraq. lege connub. gl. 1. p. 1. n. 39. Castrop. n. 9. Uxor verò obligatur tunc comitari virum in iis eventibus, in quibus esse obligata, si pactum non intercessisset; quia dictum factum, cum cesset, diminuere nequit obligationem uxoris,

Castrop. l. c. cum Gutt.

num. 19.

CAPUT IV.

De arrhis & Sponsalitia liberalitate.

Quest. 32. Arrhæ quid importent, & quæ earum natura.

R Esp. ad primum: Sumuntur primò minus propriè pro ipsis Sponsalibus; *l. 1. c. si nuptiæ rescripto petantur.* Secundò magis propriè pro eo, quod à sponso sponsæ, vel contra datur in pignus promissi matrimonii contrahendi *l. 3. & l. fin. c. de Sponsal.* Tertio pro donatione facta à Sponso sponsæ in remunerationem pudicitia, nobilitatis vel dotis sponsæ, quamque sponsa lucratur soluto matrimonio; quæque successit donationi propter nuptias hodie abrogatæ, quæ aliàs soluto matrimonio redibat ad virum donantem, sicut ab uxore tradita viro redibat ad uxorem.

2. Resp. ad secundum: Ea est natura arrharum, quæ pignus sunt matrimonii contrahendi, ut fidei violator eas amittat, *l. arrhis. l. fin. c. de Sponsal.* congruentia verò præcipua, cur hæc arrhæ amittendæ, cum & earum amissio sit pæna quædam, quæ potius permittuntur à jure, quàm alia pæna sponsalibus adjecta, hæc assignatur à Castrop. *de sponsal. p. 12. §. 1. n. 1.* quod arrhæ (utpote statim tradendæ, cum aliàs à pura pæna non differrent. *l. mulier. l. arrhas. l. fin. c. de sponsal. Sanch. l. 1. d. 35. n. 3. Gutt. de mat. c. 18. n. 3.* apud Castrop. *l. c. n. 2.* quamvis tamen etiam arrhæ promitti, & loco illarum pignus æquivalens dari possit, *Castrop. l. c. Cöninck. d. 22. du. 3. n. 13.*) in exigua quantitate & matura deliberatione concedi solent; pæna verò, quia non traditur, sed promittitur, facilè & incaurè in magna quantitate offertur; dum homines faciles sunt in promittendo, difficiles ad tradendum. Porro an & qualiter arrhæ probeantur confessione recipientis, vide apud Castrop. *l. c. n. 3.*

Quest. 33. Num arrhæ utrimque constitui possint.

R Esp. Quamvis communis sententia teste Sanch. *l. c.* id neget; eò quod hæc arrharum mutua traditio videatur superflua, dum superfluum est dare aliquid, ut tantundem recipiatur; arg. *l. qui sic. ff. de solutionib.* tamen tanquam probabilius defendunt Castrop. *l. c. n. 9.* Sanch. *n. 14.* Gutt. *c. 18. n. 8.* Ponr. *l. 12. c. 19. in princ. Cöninck. d. 22. du. 13. n. 15.* eò quod leges non reprobent illam mutuam arrharum donationem, sitque ea utilis, etiam dum arrhæ constituuntur utrimque in eadem specie & quantitate; siquidem fidem violans perdit arrhas datas, & restituere debet acceptas, innocente recuperante datas & retinente acceptas; citata autem *l. qui sic.* loquatur de alienatione, in qua tantundem recipitur, absque obligatione illud reddendi.

Quest. 34. num arrha constitui possint tam in specie, V. G. fundo, quàm in quantitate, & quidem in quacunque quantitate.

R Esp. ad primum affirmativè. Covar. *de sponsal. p. 2. c. 3. §. 7. n. 7.* Cuchus. *Inst. mor. tit. 12. n. 203. & 207.* Gutt. *l. c. n. 7.* Sanch.

d. 35. n. 12. quos citat & sequitur Castrop. *n. 7.* contra Abb. *in c. gemma. b. t. n. 8.* Butt. *num. 8.* Anchor. *n. 10.* Brunell. *de sponsal. concl. 10. n. 3.* nam imprimis non reprobantur tales arrhæ à jure, licet in *l. fin. c. de sponsal.* non fiat mentio nisi arrharum in quantitate constitutarum; potestque non minus constitutarum in specie dari possessio, verè realiter, vel etiam fidei per clausulam *constituitur*, sicut in contractu emptionis & venditionis; possunt etiam duplicari, si non in eadem specie, saltem in æstimatione.

2. Resp. ad secundum: in eo non conveniunt AA. in magna quantitate constitui posse negant Jo-and. in *c. gemma. b. t. n. 9.* Abb. *ibid. n. 8.* Brunell. *concl. 16. n. 4.* Sylv. *v. Sponsalia. q. 9. dicto 2. & c.* eò quod ideo concedantur, & reprobatur pæna apposta Sponsalibus; quia arrhæ non censentur minuire libertatem, utpote quæ dantur in exigua quantitate; pæna autem, utpote promissa, non tradita, in magna constitui solear. Non debere excedere quantitatem dotis, vel donationis propter nuptias, & iis cessantibus, quantitatem præscriptam *l. jubemus. ff. de repudiis.* tenent Bart. *in l. Titia. de V. S. n. 5.* Cuchus. *l. c. à n. 20.* Salicet. *in l. fin. de Spons. n. 15.* eò quod apud Romanos matrimonium contractum dissolvens non amittebat nisi dotem; adeoque æquum non sit per dissolutionem Sponsalium, quæ sunt minoris momenti, plus amitti. Denique quod constitui possint in quacunque quantitate, tenet Castrop. *ut. §. 1. n. 6.* eò quod leges permittentes eas loquantur indistinctè absque ulla limitatione; adeoque licet in iis militer eadem ratio, quæ in pæna, adhuc dispositio de pænis non sit extendenda ad arrhas; cum leges odiosæ & restrictivæ ex sola identitate rationis ad similes casus non extendantur; quamvis insuper sit disparitas in hoc, quod saltem plerumque arrhæ dentur in minore quantitate, & utpote jam datæ, amittantur suavius & facilius.

Quest. 35. Arrhæ data in pignus matrimonii contrahendi an, cui, & qualiter reddendæ.

R Esp. primò, arrhæ, cum contracto matrimonio jam non possunt amplius habere rationem pignoris matrimonii contrahendi, reddendæ sunt ei, à quo datæ, *l. fin. c. de sponsal.*

2. Resp. secundò: si matrimonium ob culpam tradentis arrhas non contrahatur, is simpliciter amittit eas, & eæ remanent apud recipientem; si verò non contrahatur culpâ recipientis eas, & qui vicissim non dedit arrhas, is eas superaddito tanto, quanti valent arrhæ, restituere debet; *cit. l. fin.* Minores 25. annis non tenentur nisi arrhas restituere, sive ipsi, sive eorum parentes, aut tutores nomine eorum promittentes matrimonium eas receperint. Ad hæc citat, *leg.* permissum contrahentibus non minoribus 25. annis convenire inter se, non solum de restitutione arrharum, sed etiam de reddendo duplum vel triplum ultra arrhas.

Quest.

Quest. 36. An pœna illa dupli vel quadrupli adjecta traditioni arrharum obtineat in Jure Canonico, & solvenda in foro conscientie.

R Esp. ad primum affirmativè. Sanch. l. 1. d. 36. n. 11. Gutt. de matr. c. 18. n. 7. Duacen. de sponsal. ad tit. ff. solut. matrim. §. 4. in fine. Pont. l. 12. c. 19. n. 2. Cœn. l. c. du. 3. n. 14. Castrop. n. 3. correctio enim legum, quantum fieri potest, evitanda, ergo Jus Canonicum reprobandis pœnam sponsalibus adjici, intelligendum de pœna per se sumpta & propria sponsalium, quæ à Jure civili reprobat, non de pœna arrharum contractui conjugata, & à Jure civili approbata, ut ita jura juribus sint conformia. Neque etiam eadem est ratio in hac pœna dupli vel quadrupli, ac in mera pœna sponsalibus adjecta, dum hæc in magna quantitate plerumque constituitur; quia nihil trahitur tempore contractus, ex quo limitationem recipiat. Pœna verò dupli vel quadrupli plerumque fit in exigua quantitate, & ex arrhis limitationem recipiat. Ita Castrop. l. c.

2. Resp. ad secundum: Nisi aliud verbis expressum sit, non debetur pœna illa dupli vel quadrupli ante sententiam Judicis saltem declaratoriam; nec satis est illam à parte peti (quam petitionem ad pœnam necessariam esse ad executionem hujus pœnæ communiter astruunt omnes. Pont. l. c. n. 5. Gutt. c. 18. n. 19. Cœn. Less. &c.) Castrop. l. c. n. 4. remittens ad seipsum, p. 1. r. de LL. d. 2. p. 3. ubi probabilis censuit, pœnam conventionalem non deberi ante sententiam Judicis saltem declaratoriam. Et de pœna quidem, quam *cu. l. fin.* statuit, nimirum ut recipiens, & non vicissim tradens arrhas, si culpabiliter resiliat, reddat arrhas, & insuper earum valorem, dicit esse communem sententiam, teste Sanch. d. 37. n. 1. Gutt. l. c. n. 18. eò quòd hæc non sit pœna conventionalis, sed legalis. Quamvis ipse defendat non esse pœnam purè legalem, cum, ut Cœn. l. c. 18. lex illa non statuatur ultra arrhas reddi valorem in pœnam alicujus culpæ, sed ut æqualitas servetur in contractu, nempe ne illas tradens amittat, & recipiens nihil ex propriis amittat. Contrahentes verò præsumi debeant, contrahere juxta æquitatem à jure præscriptam; ideoque recipiens illas defendendus sit obligari ex contractu ad illas illarumque valorem restituendum, & consequenter valor eorum debitus est, non ex lege tantum, sed ex conventionione de pœna hac solvenda ob violatam fidem, & ideo sententiam Judicis requirat. Sed neque ex eo, quòd tradens arrhas injustè resiliens amittat eas sine ulla expectata Judicis sententia, sequitur, quòd recipiens illas teneatur quoque ante sententiam ad duplum illud vel quadruplum; sequeretur enim aliàs, ne quidem ad hoc requiri petitionem partis, sicut ea non requiritur, ut tradens eas amittat. Sed illud solum sequitur, quòd recipiens illas teneatur ante sententiam Judicis, & ante petitionem partis eas reddere, quia hæc non est pœna contractui adjuncta, sed ipsius contractus natura; cum natura pignoris in securitatem contrahendi matrimonii concessi perat ipso jure reddi concedenti, dum per eum non stetit matrimonium non iniri; quia non absolutè donavit, sed sub conditione, quòd injustè non exequatur contractum matrimonii. At ultra pignus reddere illius valorem, vel etiam triplum aut quadruplum est contractui accidentarium, & solum ex matua conventionione debitum, ac proinde in pœnam; adeoque, cum

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

expediens sit, ut omnis pœna conventionalis in illius executione imitetur legalem, quæ sententiam Judicis requirit, etiam pœna illi reddendi duplum, triplum &c. utpote conventionalis, dictam sententiam requirit,

Quest. 37. Quæ sit natura arrharum datarum sponse à sponso in remunerationem pudicitie, nobilitatis, & dotis acceptæ.

R Esp. primò: Hæc arrhæ, quæ apud Germanos veniunt nomine *Morgengabe* seu doni matrimonialis, ut Krimer, in 4. decret. n. 1711. differunt plurimum ab arrhis datis tanquam pignus pro securitate matrimonii contrahendi; cum etiam dari à marito possunt uxori post contractum matrimonium, quin & dari solita altero nuptiarum die novæ nuptæ pro thesauro pudicitie. Dantur nihilominus etiam à sponso sponse de futuro in præmium virginitatis à sponso lædendæ, ut Castrop. l. c. p. 12. §. 3. n. 1. & in quibusdam locis solis virginibus constitui possunt. Krimer, l. c. ex Haunold. de Just. r. 4. n. 330. posse tamen etiam concedi viduæ, cum non necessariò concedantur in præmium virginitatis, sed etiam vidualis pudicitie; docet Castrop. l. c. n. 2. cum Gutt. cit. c. 19. n. 9. & aliis. Quin &, si sponsa, quam sponsus putabat esse virginem, talis non sit, posse nihilominus has arrhas eam detinere, contra Vegam L. 1. sum. casu 387. & alios sentit Castrop. n. 3. citatis Gutt. n. 8. Sanch. l. 6. d. 27. à n. 4. idque etiam si tradens illas traditurus non fuisset, si scivisset, non esse virginem. Quinimò etiam si in instrumento donationis sola apposita fuerit causa virginitatis ad has arrhas concedendas, id æstimandum sit ex stylo imperito notariorum factum, & non ex voluntate contrahentium. Castrop. loc. cit. citans Covari. in rub. detestam. p. 2. n. 4. Gutt. Tiraquel. & alios, rationem reddens, quòd arrhæ hæc non tantum dentur in præmium virginitatis, sed etiam in compensationem nobilitatis, & dotis receptæ; adeoque non cessaret finis adæquatus, etsi contingat error circa causam minus principalem, seu potius impulsivam, & extrinsecam. Secus tamen videtur dicendum, non tantum, ubi sponsus expressisset contrarium, sed etiam manifestum, non adesse nobilitatem, aut dotem, quæ compensetur, ex quibus infero, &

2. Resp. secundò: Donationem harum arrharum non habere rationem meri lucri, seu procedere ex mera liberalitate, sed esse donationem remuneratorem, & onerosam; cum præcedat in remunerationem pudicitie, nobilitatis, adeoque licitam etiam inter de facto conjuges, ut Sanch. L. 6. d. 29. Gutt. n. 19. quin & prærequirat obligationem virginitatis, & pudicitie, quæ utique est res pretio, & remuneratione digna, non tantum facta ante matrimonium, quando uxor potest nolle pudicitiam suam prostituere in matrimonio, nisi arrhis sibi designatis, ut Castrop. l. c. §. 9. n. 5. sed & matrimonio jam contracto, dum prostitutio virginitatis, vel pudicitie adhuc non est simpliciter debita, quia uxor Jure Canonico habet duos mentes ad deliberandum pro transitu ad religionem.

Quest. 38. In qua quantitate, & ex quibus bonis hæc arrhæ constitui possint.

R Esp. ad primum: Alii à sponso concedentes has arrhas nomine proprio, & ex bonis propriis

D

propriis

propriis concedere eas possunt in qualibet quantitate. Castrop. *loc. cit. d. 4. num. 1.* Sanch. *L. 6. d. 29. num. 18.* Gutt. *c. 19. num. 25.* ex bonis verò donantis, neque ab ipso donante, neque ab alio constitui posse has arrhas ultra decimam partem bonorum donantis spectato Jure Regis Hispaniæ, ait Castrop. *loc. cit.* in re autem communi nullam factam restrictionem in hac arrharum constitutione.

2. Resp. ad secundum primò: Arrhæ hæ constitui possunt ex bonis, quæ donans tempore donationis, vel promissionis arrharum habet, & non ex iis, quæ postmodum habiturus est. Sanch. *l. c. num. 6.* Gutt. *l. c. num. 18.* Castrop. *l. c. num. 2.* Unde si tempore promissionis nulla habeat bona, tamen si ea habeat postmodum, nulla est promissio, & ad nihil tenetur; quia non ex futuro eventu, sed ex præsentate regulanda est promissio; promittit enim arrhas ex suis bonis, bona autem futura non sunt, sed erunt AA. iidem. Neque obstat *l. fin. c. quæ res pignori.* ubi sub hypotheca bonorum non solum præsentia, sed & futura intelliguntur. Id siquidem est speciale in hypotheca; eò quòd ex comprehensione futurorum bonorum non extendatur obligatio (sicut in præsentati casu contingeret) sed obligationis securitas, Sanch. *num. 7.* Castrop. *loc. cit.* Quòd si tamen expressè non solum de præsentibus, sed & de futuris (uti facere potest. Castrop. *loc. cit.* promitteret arrhas, donatarius poterit eligere tempus, in quo fiat bonorum computatio, dum fortè alicubi lex vel mos est, ut non excedant arrhæ decimam aliamve certam partem bonorum. Sanch. *num. 5.* Castrop. *loc. cit. num. 2.*

3. Resp. ad secundum secundò: Bona tradentis, vel promittentis arrhas sunt, quæ remanent deducto ære alieno; quia quæ aliis debentur, nostra censeri non debent, & bona appellatione naturali alicujus sunt, quæ supersunt deducto ære alieno. *L. Subsignatum. ff. de V. S. Sanch. nu. 11. & 12.* Gutt. *q. 9. pract. q. 42.* Castrop. *l. c.* & in contractibus sumuntur bona appellatione naturali. Rebuff. *in l. bonorum appellatione. ff. de V. O.* bona verò, quæ verè aliena sunt, & alteri debita, tamen si ut propria bona etiam fide possideantur, computari non debent; eò quòd, quod alteri debetur, non est propriè suum, sed alienum, etsi ob ignorantiam proprium esse credatur; ergo computandum non est in bonis tuis maximè in tibi præjudicantibus, quales sunt promissiones, & obligationes, etsi de cætero in favorabilibus, & ad effectus civiles, v. g. ad actionem, & exceptionem, ad præscriptionem, ad possidendum officium, quod ex instituto vel lege cavetur, ut nemo possidere possit, qui non habet v. g. in bonis suis mille, censentur propria. Ita tenent Castrop. *loc. cit. num. 4.* Sanch. *L. 6. d. 30. num. 2.* Gutt. *de matrim. l. c. nu. 27.* contra Molin. *de just. Tom. 2. tr. 2. d. 431.* & alios plures apud Castrop. *num. 3.* quibus non favet *l. cit. bonorum.* cum in ea non dicatur, bona nostra esse, quæ bona fide possidemus, sed in bonis nostris spectari quòd minus est, ad quem effectum sufficit bona fides. Neque illud, quod afferunt de præsentato à possidente bona fide jus patronatus, qui non remouetur, tamen si postmodum præsentator à possessione, & jure patronatus remouetur; quia in præsentatione non attenditur proprietatis, sed possessio juris patronatus, cum sit veluti fructus, qui debetur bonæ fidei possessori. E contra inter hæc bona computari debent bona, quæ tibi debentur, & ad quæ recuperanda habes

actionem; quia moraliter tua sunt, *cit. l. bonorum.* Sanch. *nu. 13.* Gutt. *cit. n. 17.* item officia, v. g. tabellionatus, dum vendibilia sunt, uti & alia vendibilia, dum enim vendi, & pretio æstimari possunt, sunt habenda in parte bonorum. AA. iidem.

4. Resp. ad secundum tertio: Possit quoque has arrhas constitui in feudo cum consensu Domini directi, vel etiam sine illo, dum feudum est hæreditarium. Krimer. *cit. num. 1711.* citato Haunold. *Tom. 1. de just. tr. 4. num. 330.* qualiter verò, dum constituitur à possessione majoratus, spectandus non sit valor majoratus, sed fructus, vide apud Castrop. *l. c. nu. 6.*

5. Resp. ad secundum quarto: Arrhæ hæ promissæ à marito habente filios ex priore thoro, vel etiam his cessantibus, alios ascendentes legitimos, num extrahendæ sint arrhæ promissæ, uti & alia debita ex communi corpore hæreditatis, an verò solum ex ea parte hæreditatis, de qua liberè disponere potest, non conveniunt AA. prius affirmant aliqui; eò quòd arrharum constitutio non sit gratuita, & liberalis donatio, sed remuneratoria; donatio autem remuneratoria, utpote debita ex honestate, extrahenda ex cumulo hæreditatis. Negat è contra Castrop. *l. c. n. 7.* citatis Spino *in speculo testam. gl. 18. nu. 94.* Sanch. *L. 6. d. 38. num. 15.* Gutt. *cit. c. 19. n. 39.* eò quòd cum nullo jure attingatur sponfus arrhas sponsæ assignare, & tamen hæc assignatio sit aliquo modo remuneratoria, sit tamen voluntaria, æquum non sit propterea legitimum filiorum aut ascendentium, quæ ex rigore justitiæ debetur, minuire. Secus tamen, ut iidem AA. esse, seu ex toto cumulo hæreditatis arrhæ extrahendæ, ubi tempore, quo arrhæ promissæ, nulli fuerunt ascendentes aut descendentes, ita ut dein natiuitate filiorum aliorumve descendentium hæc arrharum donatio non revocetur, aut aliquo modo restringatur; utpote quæ non omnino libera, sed remuneratoria, per quam jus sponsæ quaesitum. De cætero, an, ubi in certa quantitate determinata arrharum constitutio, valeat excedens illam quantitatem quantitas, vide apud Castrop. *l. c. §. 5. per totum.* Item à quo probandum contineri arrhas intra dictam quantitatem, vide apud eundem, §. 6.

Quæst. 39. Qui arrhas constituere, & promittere possint.

1. Resp. primò: Eas tam sponfus, quam ejus parentes & consanguinei, quin & quilibet extraneus nomine illius promittere potest. E contra tamen quandoque sponsa ejusque parentes, sponso constituere possunt arrhas in præmium nobilitatis & divitiarum excessus. Sanch. *L. 6. d. 29. n. 4.* Gutt. *l. c. n. 16.* Castrop. *l. c. §. 8. n. 1.*

2. Resp. secundò: Si minor carens curatore promittat seu donet arrhas de bonis immobilibus, vel mobilibus, quæ servando servari possunt, nulla est promissio aut donatio, nisi factâ sententiâ Judicis intercedente, Horum enim bonorum alienatio absque sententiâ & decreto Judicis inrerdicitur minoribus, *L. non solum l. prædia. c. de prædiis minorum.* Sanch. *l. c. d. 38. n. 37.* Castrop. *l. c. n. 2.* Verùm elapso quinquennio post ætatem 25. annorum ipso jure ratificatur, & confirmatur talis arrharum promissio & donatio, sicut si alienatur res immobiles titulo oneroso. Sanch. Castrop. *ll. cit. Bart. Bald. Salicet. & c.* id probantes ex *l. fin. c. si major factus alienat. factum sine decret. jud. ratam hab.* Si verò minor

25. Annorum arrhas ex rebus mobilibus, quæque servando servari nequeunt promitteret, vel donaret in ea quantitate, quam leges permittunt, valida erit donatio & promissio; quia fecit illud, quod quisque major & prudens fecisset. Sanch. num. 41. Castrop. l. c. Arg. l. non videtur. c. de in integ. restit. & licet ad hanc promissionem seu alienationem non requiratur Judicis decretum, requiritur tamen curatoris, si quam habet, auctoritas, alias nulla erit promissio vel donatio. Sanch. Castrop. LL. cit. Arg. l. 2. & l. mulier. c. de jure dot. & l. si curatorem. c. de in integ. restit. Valebit tamen & tunc, si minor eam juramento confirmet, jure sic disponente in Auth. Sacramenta impub. c. si adversus vendit. Sanch. n. 43.

3. Resp. tertio: Filius familias pubes inconsulto patre arrhas promittere potest de bonis, quorum ipse dominium & administrationem habet; nam, ut habetur in l. filius familias. ff. de A. O. filius familias ex omnibus causis tanquam pater familias obligatur, & ob id agi cum eo tanquam cum patre familias potest. Sanch. d. 39. n. 1. impubes verò etiam ex patris licentia arrhas nec dare nec promittere potest, uti nec ullum alium contractum celebrare, Castrop. l. c. citans Molin. tr. 2. d. 261. juxta §. pupillus. Inst. de inutil. stipulat. ubi: Sed qui in potestate parentis est impubes, ne anshore quidem patre obligatur. De cæterò etsi pubes adhuc ex bonis, quorum pater habet administrationem seu usufructum, non potest (de hac tamen potest. Molin. l. c. Sanch. cit. d. 39. n. 7.) promittere arrhas, ut deciditur l. fin. c. de bonis qua liber. ubi: filiis autem familias in iis duntaxat casibus, in quibus usufructus apud parentes constitutus est, donec parentes vivunt, nec de his rebus testari permittimus, neque citra voluntatem eorum, in quorum potestate sunt, ulla licentia eis concedenda, dominium rei ad illos pertinentis alienare, vel hypothecæ titulo dare vel pignori assignare. Quam verò bona filii familias computanda, ut constet, num arrhæ excedant quantitatem alicubi fortè à lege vel consuetudine taxatam, vide apud Castrop. l. c. num. 4. Illud hic notandum circa dicta hucusque de arrhis constituendis, promittentem eas, sive major, sive minor, sive juramento confirmaverit, sive non, obligatum non esse eas solvere, si dos promissa culpabiliter non solvatur, vel non solvatur integrè; quia promissio illa arrharum censetur esse facta in dotis remunerationem; idque etiam à principio arrhæ promissæ nullà factà dotis promissione; sed postmodum securà. Arrhæ siquidem semper promittuntur in dotis remunerationem, & retinentur; quasi in pignus & depositum dotis debite & non solute; & ita docent teste Castrop. Roland. à Valle tit. 1. conf. 10. an. 1. Mol. de just. Tom. 1. tr. 2. d. 431. Sanch. l. 6. d. 37. n. 1.

Quæst. 40. Qualiter hæc arrhæ acquirantur sponsæ.

1. Resp. primò: Arrhæ nullatenus acquiruntur sponsæ irrevocabiliter ante consummatum matrimonium; unde dissolutis sponsalibus, vel matrimonio ante consummationem per mortem vel ingressum in religionem, vel ob aliam causam sine culpa promittentis seu dantis, huic reddendæ sunt. Castrop. l. c. p. 8. num. 1. & plures alii apud illum. Sanch. l. c. d. 22. n. 8. si verò promittens vel donans in culpa fuit, cur matrimonium non fuerit consummatum, sponsa lucrabitur arrhas eo modo, ac si matrimonium consummatum esset; cum sponsi iniustitia impedire nequeat jus sponsæ obtentum.

R. P. Lenz. Jur. Can. Tomus IV.

2. Resp. secundò: Si verò intercesserit osculum, sponsa solus sponsalibus vel matrimonio non consummato (intellige, sine culpa promittentis vel dantis) secundum aliquos lucrabitur medietatem arrharum non interveniente sponsalitia largitate; hac verò interveniente, utriusque medietatem vel alterutrius, prout placuerit, lucrabitur. Contra tenent Sanch. cit. d. 38. n. 8. Gutt. c. 19. n. 94. Sponsam non lucrari per osculum illud medietatem arrharum, sed solum sponsalitia largitatis, sive arrhæ intervenierint sive non. Tertio tenet Castrop. n. 5. per osculum lucrari sponsam medietatem omnium, quæ ab ipso sponso ipsi donata sunt, sive sint arrhæ, sive sponsalitia largitas absque ulla electione, consummato autem matrimonio lucrari integras arrhas vel sponsalitiã liberalitatem. Verùm quia hæc ab ipso aliisque illis AA. fundantur præcipuè in legibus Regni Hispaniæ, non lubet his diutius immorari.

Quæst. 41. qualiter uxor obtinens arrhas vel etiam sponsalitiã largitatem de iis disponere possit.

Resp. Si mulier non nubat alteri, posse eam æquè de arrhis & sponsalitia liberalitate ac de aliis bonis, quæ verè illius sunt, disponere, ait Castrop. l. c. p. 9. n. 1. Si verò transit ad secundas nuptias, & habet ex priore marito concedente arrhas filios, de iis liberè disponere non posse, sed necessariò eas reservate debere dictis filiis, secundum l. femina c. de secund. nupt. & Auth. ex testam. eod. tit. æqualiter inter eos dividendas, Auth. lucrum, eod. reservato sibi solo usufructu, communis habet sententia, ut videre est apud Molin. l. 1. de primog. c. 10. n. 62. Gutt. l. 2. q. 99. pract. 3. 18. in fine, Sanch. l. 6. d. 41. n. 3. eò quòd de bonis concessis à marito donatione (intellige libera & non onerosa) sive inter vivos, sive in testamento, nullatenus disponere valeat uxor transiens ad secundas nuptias, si filios habeat prioris mariti, sed ea debet reservare his filiis; arrhæ autem hæc non concedantur uxori titulo oneroso; sed lucrativo, nempe in præmium pudicitie per matrimonium amittendæ, & ad quam amittendam, cum obligetur matrimonio contracto, non censetur aliquod onus subire, ratione cujus dicantur titulo oneroso concedi, uti & in hoc, quòd de sponsalitia largitate disponere nequeat talis uxor, sed teneatur eam relinquere dictis filiis, reservato sibi solo usufructu, convenire omnes DD. ait Castrop. l. c. n. 2. qui tamen ipse n. 3. censet omnino contrarium de dictis arrhis, nempe competere uxori libetum dominium & dispositionem circa dictas arrhas, etiam si habeat filios ex priore marito, citato pro hac sententia Molin. Jesuita de just. tr. 2. d. 431. & c. quam etiam satis probabilem reputat, Sanch. d. 41. n. 2. quamque tenet Krimer in 4. decret. num. 1715. opposita omnino mori ratione; nempe quòd arrhæ non concedantur donatione liberali & munifica, sed potius quasi permutatione in compensationem pudicitie, nobilitatis, dotis; quòd & ex hoc confirmat, quòd arrhæ hæc plerumque in pactum deducantur, ita, ut eas concedens, etsi in contrahendo voluntarius & liber existerit, celebrato tamen hoc contractu, non liberè, sed ex obligatione donat. sæpe namque uxor, ut matrimonium contrahat, exigit, tot sibi arrhas concedi, alias non contractura, & sub ea conditione maritus arrhas ei concedit; quæ autem titulo oneroso conceduntur à marito uxori, non reservantur filiis mariti; sed de his tanquam de bonis propriis liberè disponere potest uxor. Confirmat idem exemplo dotis, quam concessam

D 2

uxori

uxori adolescentiori & nobiliori non tenetur ea reservare filiis, quod ipse docet Sanch. d. 8. num. 2.

Quaest. 42. Quid sit sponsalitia largitas, & quae veniant illius nomine.

1. **R**esp. ad primum: Submissio munerum facta à sponso sponsae vel contra in significationem amoris, animo, spe & causâ matrimonii contrahendi, vocatur sponsalitia largitas, & ab aliquibus donatio ante nuptias; unde vides, eam non esse confundendam cum concessione arrharum, quae titulo oneroso juxta dicta conceduntur.

2. **R**esp. ad secundum primo: Num omnia, quae sponso mittit sponsae ante consummatum matrimonium (dum de animo mittentis expressè non constat, si enim de eo constat, cessat quælibet alia præsumptio) censeantur sponsalitia largitas, seu verè donari, ita ut integrè sint illius matrimonio consummato; an verò commodata solum illi ad honorandam tamen illam, animique affectum erga illam ostendendum, qualiter ab eo tractanda tempore matrimonii, idque, ut ornatio ad virum accedat, dominio tamen ad illam non transeunte, sed penes sponsum remanente, in hoc, inquam, non convenit inter AA. prius de omnibus indifferenter, si sint pretiosa, siue ordinaria, sentit Anton. Gomez, & alii apud Castrop. p. 13. §. 1. num. 1. contrarium de omnibus sentit Molin. de just. tr. 2. d. 290. eò quòd donatio nunquam præsumi debeat, quoties ex alia causa quàm donationis intelligi potest aliquid alteri concessum, ut contingit in iis, quæ traduntur gratiã tradentis; uti in præsentem contingit, dum sponso mittit sponsae munera; tum, ut ad ipsum ornatio accedat, tum ne ipse vilis & avarus reputetur. Mediam viam ingreditur Castrop. l. c. num. 3. citans pro hoc Sanch. l. 6. d. 25. num. 28. Clarum l. 4. receptor. §. donatio q. 10. Villalob. in commun. opinion. lit. v. verb. vestes. num. 47. Et nimirum si munera sint tam exigua, ut si contracto matrimonio missa sponsae, censerentur donata, si verò ita magna & pretiosa, ut, si darentur stante matrimonio, censerentur solum ad usum commodari, eò quòd non ad communem uxoris ornatum, sed ad singularem & extraordinarium, censerentur solum commodata sponsae. Rationem dat, quòd cum hæc munera mittantur in signum amoris & testimonium, qualiter contracto matrimonio tractanda sit ab eo, signum exigui amoris præbeat sponso, quin & testimonium manifestum asperè & arctè tractandam tempore matrimonii, si solum usum cujusque muneris exigui concedere intendit; quæ ratio non procedit in muneribus pretiosis, & quorum dominium non conceditur stante matrimonio, sed solus usus; cum ad significandum amorem, & qualiter tractanda ab eo sufficiens signum sit ista pretiosorum commodatio absque donatione. Quòd si tamen alicubi consuetudo esset, ut ea, quæ sponso mittit, esto sint pretiosa, non reputentur (uti Castrop. citato jure recentiore Regni Castellæ, quælibet, siue pretiosa, siue vilia, à sponso sponsae vel contra concessa, censenda esse donata, adeoque sponsalitiam largitatem) sponso censendus sit ea donare; quia præsumendus est, ea mittere juxta regionis con-

suetudinem. Castrop. l. c. n. 4. Sanch. l. c. n. 16. qui etiam num. 18. subjungit, munera à sponso missa præsumi donata, si sponso prius aliqua misit; quia adest præsumptio remunerationis, quod approbat Castrop. si constaret sponso animo donandi misisse, eaque sponso non satis remunerari solo usu pretiosorum concessio. Atque ex dictis jam deducitur idem dicendum de muneribus missis à Socero nurui; cum enim focer contemplatione sponso ea mittat, ac proinde reputandus, ac si sponso ea mitteret censendus focer ea donasse, quæ sponso donasset: ea ad usum solum concessa, quæ sponso ad illum concessisset. Castrop. l. c. num. 7.

3. **R**esp. ad secundum secundò: Donata à consanguineis vel amicis sponso sponsae vel contra in sententia docentium acquiri ea integrè donatario non habent rationem sponsalitiæ largitatis; cum non sit donatio inter sponso, hoc est, unius sponso facta alteri. Sed neque in sententia afferente ea acquiri sponso, concessio solo usu sponsae (quam tenet Castrop. n. 8. citatis Claro l. c. Mascard. de probat. concl. 564. an. 5. Gutt. 99. can. l. 2. q. 120. n. 9. Molin. & c. eò quòd, dum aliud non expressum, cum consanguineus sponso ob favorem, quem suo consanguineo præstare intendit, donet sponsae, donatio potius censenda sit fieri sponso quàm sponsae; & argumenta in oppositum adducta solvit, n. 9.) sunt sponsalitia largitas. Castrop. l. c. n. 10. Sanch. l. 9. d. 26. n. 22. Molin. de just. tr. 2. d. 430. concl. 3. eò quòd, licet sponso approbet donationem illam factam sponsae, non tamen inde inferatur illum hac sua approbatione concedere sponsae, quod sibi concessum; sed solum approbare concessionem juxta modum, quo facta est, ac proinde reservare sibi velle dominium. Ad hæc ad minimum dubium est, num sponso approbans hanc donationem à suis factam sponsae, velit acquiri sponsae, vel sibi retinere; in dubio autem nemo præsumendus est velle donare. l. cum indebito. ff. de prob. Mascard. de arb. l. 2. casu 88.

Quaest. 43. In qua quantitate, & ex quibus bonis sponsalitia largitas fieri possit.

1. **R**esp. ad primum: Jure communi nullam taxatam esse huic largitati quantitatem, ut constat ex toto rit. ff. & c. de donatione ante nuptias; in regno verò Castellæ ait Castrop. l. c. §. 2. n. 1. eam non posse excedere octavam partem dotis uxoris; quòd si tamen eam excedat, non totam vitari, sed tantum quòdam excessum illum, ut habet Castrop. num. 3. in fine, & quòd si fiat sponsae nullam dotem afferenti, esse illam totaliter seu omnino nullam; neque eam lucrari sponso per osculum aut copulam, ut habet n. 4. & 5.

2. **R**esp. ad secundum: Loquendum hoc in puncto sicut de arrhis, nimirum posse tantum desumi ex bonis, de quibus sponso liberè disponere potest; item posse desumi ex corpore hæreditatis, si tempore promissionis caret filiis, & ascendentibus; quid verò possit in hac parte filius familias; vide q. ante hanc 4. par enim in hoc est ratio, quæ de arrhis.

Quaest. 44. Quo tempore concedenda sponsalitia liberalitas.

1. **R**esp.

1. Resp. primò: debet necessariò concedi post sponsalia contracta; quia est concessio inter Sponfos sub spe matrimonii contrahendi, & ob ejus causam. Hinc si ante sponsalia celebrata ei, quam sperat Sponsam habere, munera mittat animo statim donandi ea, sponsalitia liberalitas nominanda non sunt. Castrop. *l. e. §. 3. num. 1. Sanch. L. 6. d. 24. n. 2.*

2. Resp. secundò: Jure communi antecedere debet, non solum matrimonii consummationem, sed etiam ejus contractum; cum matrimonio contracto, juxta *L. si à sponso. c. de donat. ante nupt. L. inter eos. ff. de donat. inter virum & uxorem.* Donatio inter conjuges, utpote facta inter virum & uxorem sit prohibita, Castrop. *loc. cit. num. 2.* ubi etiam, quòd spectato jure recentiore castella fieri possit matrimonio jam contracto, modò fiat ante consummationem illius, post quam donatio facta esse donationem inter conjuges, & juxta ejus naturam regulandam, habet Castrop. *num. 4.* Quòd si autem Sponsus nuncio Sponsæ tradiderit jocalia deferenda Sponsæ, antequam consummatum matrimonium, & ea non nisi post consummatum matrimonium perveniant, validam fore donationem, quippe facta ante consummationem; cum Sponso eo ipso, quo nuncio tradita (utpote quem ad ea recipienda destinavit) ea recepisse sentenda sit. Secus verò esse, si Sponsus nuncio suo ea tradiderit deferenda, & antequam ea Sponsæ delata, consummavit matrimonium, tradit Castrop. *num. 7.* cum Sanch. *L. 6. d. 23. num. 7.* De cætero vestes, & alia ornamenta pretiosa ante consummationem matrimonii data Sponsæ in ipso nuptiarum die, vel proximo non censi sponsalitiæ largitatem, asserunt Gurr. *qq. pract. L. 2. q. 19. num. 1.* & alii apud Castrop. *loc. cit. num. 8.* eò quòd præsumantur donata & collata in tempus matrimonii, & concessa Sponsæ, non ut Sponsæ, sed ut uxori, utpote concessa eà præcipuè intentione, non ut deserviant Sponsæ tempore sponsalitiæ, sed tempore matrimonii. Contrarium existimat Castrop. *num. 9.* cum Sanch. *L. 6. d. 28. num. 9.* nimirum ea munera habere rationem sponsalitiæ liberalitatis, & Sponsam lucrari eorum medietatem per osculum, & integrè per copulam. Vide eosdem.

Quæst. 45. Qualiter sponsalitia largitas acquiratur, & amittatur.

1. Resp. primò: Sponsalitia largitas jure antiquo *ff. & eod.* ante Constantinum Imperatorem acquirebatur donatario, eratque donatio simplex, & pura, nisi in ea expressum esset, fieri ob matrimonium contrahendum, & ob ejus causam, *L. 1. ff. de donationib. L. si filia. L. si tibi. c. de donat. ante nupt.* At post Constantinum illa conditionis expressio non requiritur, sed ex ipsa legis dispositione, & ex præsumpta patrium voluntate prædicta conditio (si matrimonium sequatur) subintelligitur ex *l. cum veterum. c. de donat. ante nupt.* ac proinde hæc donatio non refertur in tempus matrimonii, aliàs esset donatio inter conjuges prohibita. *L. quod sponse. c. de donat. ante nupt.* ubi: *Quod sponse ea lege donatur, ut tunc dominium ejus adipiscatur, cum nuptia fuerint secuta, sine effectu est.* Sedito ipso, quo hæc do-

natio fit, habet effectum, & quaeritur donatario, sub onere tamen, ne matrimonium contrahere omittat. Quare matrimonio contracto pleno jure & irrevocabiliter donatio fit donatarii; eo verò non contracto culpà donantis, is donatum amittit, & reddit, si quid ab alio accepit; eo verò non contracto culpà donatarii, is, quod sibi datum, restituere tenetur. Uti hæc habentur in *L. veterum. cap. de donat. ante nupt.* Ita ferè Castrop. *loc. cit. §. 4. num. 1.*

2. Resp. secundò: Quòd si sponsa ante consummatum matrimonium osculum recepit, aut dedit, lucratur medietatem jocalium, seu sponsalitiæ largitatis: prout deciditur *L. si à sponso. de donat. ante nupt.* & ibi Gl. Sponsus verò dans, aut recipiens osculum, medietatem jocalium non lucratur, Arg. *ejusdem legis.* Rationem hujus diversitatis dat Gl. *in cit. L. §. 1.* quòd sponsa semper censeatur osculum dare, & non recipere, propter quod digna sit præmio. Aliam addit Castrop. *num. 2.* (quæ tamen videtur in hisce partibus esse exigui momenti) nimirum quòd Sponsus ex osculo Sponsæ voluptatem acquirit, & in nullo gravatur; Sponsa verò ruborem & verecundiam sustineat, & non levem honestatis diminutionem patiatur, ita ut decedente Sponso, à quo constat deosculatam esse, alium Sponsum non tam facile inveniat. Per copulam verò consummativam matrimonii tam Sponsus, quam Sponsa æqualiter lucrantur sponsalitiæ largitatem, hoc est, Sponsus totam sibi concessam à Sponsa, & hæc totam sibi concessam à Sponso, cum uterque in dicta copula sint æquales, & ex illa æquale jus & obligatio procedat. Arg. *L. si sponso. & L. cum veterum. de donat. ante nupt.* quòd ipsum in his, quæ Sponso à Sponsa de futuro, sive ante contractum matrimonium data sunt, certissimum se estimare, ait Castrop. eò quòd licet regulariter femina donare non præsumantur, *L. si à sponso.* eo ipso tamen, quo sponte sponsalium tempore jocalia mittit, ea donare præsumantur, dum contrarium non exprimitur; quia præsumitur ea mittere juxta jocalium naturam, quæ est eorum dominium in alium transferre. Quæ verò data sunt Sponso à Sponsa & vice versa stante matrimonio ante illius consummationem, æqualiter ab utroque lucrari, ait Castrop. Porro osculum, vi cuius medietatem acceptorum lucratur, debet subsequi sponsalia, & non sufficit datum ante illa; quia tunc necdum erat osculum Sponsi; sive autem præcedat, sive subsequatur donationem, idem est. Castrop. *num. 3.* cum Sanch. *L. 6. d. 19. num. 6.* Copulam autem, vi cuius Sponsi integrè lucrantur jocalia, non sufficit præcessisse matrimonium; quia debet esse consummativa matrimonii contracti, antequam per solum contractum matrimonii dicta jocalia donatario non acquiruntur. Sanch. *l. c. num. 1.* Castrop. *num. 4.* qui etiam *num. 5.* subdit, hinc deduci, quòd si solutis sponsalibus vel matrimonio ante consummationem Sponsus reperat jocalia, teneatur probare, se ea dedisse tempore sponsalium. Si autem Sponsa, ejusve hæredes renuant ea integrè, vel ex parte restituere, teneantur probare, osculum vel copulam post matrimonium contractum intervenisse. De cætero, quod dictum de osculo, nimirum quòd lucratur Sponsa vi illius medietatem jocalium, alii

quidem non improbabiler teste Castrop. n. 7. sentiunt de amplexu, eò quòd is osculo æquiparetur, & ex eo æquè ruborem sustineat sponsa, contrarium tamen sentit Castrop. num. 8. cum Sanch. l. 6. d. 18. n. 8. & aliis; eò quòd *L. si à sponso* meminerit solius oculi, si autem voluisset dispositionem extendere ad amplexum; facillè illius meminisse potuisset. Item quòd osculum ferè contineat amplexum; cum rarò quis mulierem deosculetur, quin amplectatur; amplexus verò non contineat osculum. Ac denique quòd licèt amplexui assimiletur osculum aliquo modo, non tamen inegrè, ac perfectè. Idem quoque, quòd dictum est de oscule, dicendum esse quoque de tactu impudico, & copula (intellige interveniente ante contractum matrimonium) & quidem à fortiore, astituit Castrop. num. 9. eò quòd ratio; cur ob osculum concedatur medietas sponsæ fundatæ in rubore, quem patitur ex eo sponso, & ob periculum non ita facillè inveniendi alium sponsum, efficiatius procedat in tactibus & copula. Neque obstat, quòd sint illiciti, & pœnâ digni coram Deo; cum lex in concessione jocalium non attendat, an osculum & tactus sint licita, an illicita, sed tantùm, quòd ex iis gravetur sponsa.

3. Resp. tertio: Sponsalibus nullis, v.g. ob impedimentum consanguinitatis, dum sponsus conscius impedimenti sponsæ illud ignoranti dedit jocalia, sponsa deosculata medietatem retinere poterit, non quidem in vi sponsalitiæ largitatis; cum vera sponsa non sit, sed ob deceptionem sponsi & injuriam ab eo acceptam, & ob voluntatem, quam abundè significavit, donandi, ut Castrop. n. 10. cum Sanch. l. 6. d. 20. num. 10. Si verò sponsus ignarus dedit sponsæ consciæ impedimenti, hæc integrè reddere debet; quia nulla est donatio, utpote ex falsa causa, & quia sponsa in causa, cur sponsalia careant effectu, AA. iidem. Si uterque ignarus fuit ignorantia non crassa, sed probabili, sponsam nihil lucrari per osculum aut copulam, nullamque esse sponsalitiæ largitatem, defendit Castrop. num. 12. contra Sanch. num. 3. & alios. Ratio illius est, quòd datum ob causam, causâ non subsistente, sit nullum, & danti restituendum. *l. ea quæ. c. de donat. ob caus.* Sponsi autem sponsalitiæ largitatem sibi concedunt sub spe matrimonii veri, & ob illius causam; unde si matrimonium non subsistit, neque datum illius causâ subsistit. Ad hæc datio jocalium hanc tacitam habeat conditionem: si matrimonium sequatur; at in præsentem matrimonium esse, & sequi nequit, cum sit impedimentum. Ac denique verba legum, maximè in contractibus, accipienda sint in significatione propria; leges verò loquentes de sponsalitiæ largitate adesse requirunt sponsalia esseque sponso, quales in præsentem non sunt, sed solùm sponsalia ficta, & sponsi putativi. Si uterque sponsus conscius est impedimenti, censent plures apud Castrop. num. 14.

donatarium nihil lucrari, neque etiam donanti reddendum, sed spectare ad fisco; quamvis eorum aliqui teneant, non esse tradendum fisco ante sententiam Judicis. Sanch. tamen *l. c. n. 7.* & cum eo Castrop. n. 15. sentit, donatarium retinere posse donatum, non in vi sponsalitiæ largitatis, quæ impossibilis est in hoc casu, sed in vi gratuita & liberalis donationis ad similitudinem sponsalitiæ largitatis; quia sciens matrimonium esse impossibile, si ob illius causam donet, censendus est purè donare, & solùm in apparentia donare ex causa; ac proinde repetere nequit. Et licèt per donatarium stet, quòd minus matrimonium perficiatur, quia tamen id æquè stat per donantem, ideo donanti donatum non est restituendum.

4. Resp. quarto: Sponsalibus dissolutis sine culpa utriusque sponsi, v.g. sponso & sponsa ingrediente religione, sponsus nihil acquirit ex his, quæ à sponsa accepit, sed integrè reddere tenetur omnia, etiam si sponsam osculatus; quia prædicta conceduntur sub spe matrimonii contrahendi, & ob illius causam, qua cessante cessat concessio, & sponso ratione osculi nihil conceditur. Idem dicendum est de sponsa; quæ tamen, si osculum concessit, medietatem retinere poterit. *L. si à sponso. l. cum veterum. de donat. ante nupt.* Sanch. l. 6. d. 21. num. 3. & 4. Molin. de Just. tr. 2. d. 290. §. habent vero. Castrop. cit. §. 4. n. 16. Quòd si tamen etiam sponsalia dissolvuntur mutuo consensu, ratione osculi concessi nihil deberi, sentiunt cum Sanch. n. 6. apud Castrop. n. 17. plures, eò quòd tunc videantur tacitum pactum inire, ut quilibet eorum alteri accepta restituat. Putat tamen Castrop. neque in hoc casu, dum osculum intercessit, sponsam amittere medietatem, & præsumendum amittere solùm ea, quæ ratione prioris contractus acquisivit; quia in ea parte est æqualis sponso, scilicet quæ viâ aliâ non communi sponso, nempe ratione osculi acquisivit.

5. Resp. quinto: Dum sponsus vel sponsa recedunt à sponsalibus ob alicujus culpam, v.g. fornicationem, innocens à se donata recuperat, & accepta acquirit seu retinet, *l. cum veterum. l. si à sponso.* Procedereque idipsum, etiam si antequam innocens ratam habeat dictam dissolutionem, nocens causam dissolutionis emendet, v.g. exitinere redeat, & dein resiliat à sponsalibus, tenent Castrop. num. 18. Sanch. *loc. cit.* contra alios; eò quòd uno ex contrahentibus iniquè resiliante, alter ipso jure obtineat libertatem, & acquirit jus tum retinendi accepta, tum recuperandi donata, *l. cum veterum.* satisque est, quòd innocens causam illam dissolutionis sponsalium non remittat, et si de cætero expressè & signatè illam non accepit; siquidem prædictum jus lege sic disponente conceditur innocenti.

C A P U T V.

De personis habilibus ad contrahendum
Sponsalia, & horum obligatione
& effectu.

Quæst. 46. *Quinam contrahere possint sponsalia.*

Resp. omnes & soli, qualiquando licitè & validè contrahere inter se possunt matrimonium, modò de præsentè capaces sint præbere mutuo consensum, & nisi jure positivo prohibeantur; sive qui carent impedimento de se perpetuo ad contrahendum matrimonium; siquidem promissio rei illicitæ vel impossibilis, etiam incremento firmata, non valet. Dicitur primò: qui licitè contrahere possunt matrimonium. Hinc prioribus sponsalibus indissolutis & validis, à neutro sponforum alia sponsalia, cum tertio, vel tertia contrahi queunt validè; quia cum illo licitè contrahi nequit matrimonium, etsi validè contrahere possint, & contrahant matrimonium. Dicitur secundò: qui carent impedimento de se perpetuo: quale v. g. est consanguinitatis, affinitatis. Etsi enim illud tolli possit per dispensationem, de se tamen est perpetuum, nulloque tempore accidentè tollibile. Hinc promissio, quâ consanguinei, vel affines aliove impedimento tollibili per dispensationem ligati promittunt sibi matrimonium, etiam sub conditione impetratæ dispensationis, non constituit sponsalia, quousque dispensatio impetretur; quia ante eam nullus ex contrahentibus (licet obligentur expectare, & procurare dispensationem) jus habet in alterum ad matrimonii celebrationem. Castrop. de sponsal. p. 6. n. 1. videtur tamen hic intervenire aliquid quæstionis de nomine, dum ab aliis talia sponsalia dicuntur valida ante eventum dispensationis. E contra promissio de contrahendo matrimonio facta inter impuberes de facto valet, & constituit sponsalia, etsi pro eo tempore contrahere nequeant matrimonium; quia laborant impedimento contrahendi matrimonium de se non perpetuo, sed temporalitè tollibili accedente tempore citra dispensationem. Idem est de obstrictis voto castitatis ad unum alterumque annum. Quòd autem impuberes septennio minores validè nequeant celebrare sponsalia, tamen si habeant solum impedimentum temporale contrahendi matrimonium, est, quòd Jus Canonicum id specialiter prohibeat; unde additum in responsione: nisi jure positivo caveatur contrarium. Sed de hoc ex professo Tit. seq. Dicitur tertio: modò de præsentè capaces sint præbere consensum: Nam tamen si carentes usu rationis aliquando, nempe pro tempore & casu, quo ad usum rationis redeunt, celebrare possunt matrimonium, de præsentè tamen nequeunt sponsalia celebrare; quia libertate destituti non sunt capaces obligationis. Unde sit

Quæst. 47. *An & qualiter carentes usu rationis contrahere possint sponsalia.*

1. Resp. primò: Sponsalia à furiosis, amentibus, & similibus carentibus usu rationis contrahi nequeunt ob defectum pleni, & deliberati consensûs. Ita AA. communiter juxta c. dilectus. de sponsal. censetur autem quis sufficienter pollere ulu rationis ad contrahendum validè sponsalia, si aptus existat ad merendum, vel demerendum vitam æternam. Castrop. loc. cit. nu. 2. Sanch. L. 1. de sponsal. d. 10. num. 15. juncto nu. 9. Videtur quoque non sufficere semiplena advertentia, qualis est in semi-ebrio, vel semi-sopito, & sufficit ad peccandum venialiter, non verò ad peccandum mortaliter, seu demerendum vitam æternam; cum per sponsalia contrahatur obligatio ad rem gravissimam, & summi momenti, nempe matrimonium. De cætero inquirunt iidem sine fundamento à D. Thoma Per. Ledesm. Henriq. Gutt. de matrim. cap. 2. num. 12. requiri insuper discretionem, ut de futuris providere possint; cum jura, nullâ factâ mentione discretionis, & providentiæ futurorum, non requirant nisi septennium, quo quidem præsumitur haberi discretio, non tamen illa providentiæ futurorum. Neque audienda est Gl. in cit. c. dilectus. v. furiosus. dum videtur admittere à furioso validè contrahi, si alter contrahentium sit furoris conscius, eò quod tunc non patitur injuriam. Nam nullitas talis non oritur ex injuria, quæ alteri furoris ignaro fieret, sed ex defectu deliberationis & libertatis.

2. Resp. secundò: Si tamen furiosus haberet quandoque lucida intervalla, posset horum tempore sponsalia, & matrimonium contrahere, ita ut etiam postmodum redeunte furore sponsalia, & matrimonium non reddantur invalida, Quamvis & tunc regulatiter licitè, & sine peccato non contrahantur, dum perpetuò furiosus ineptus est ad prolem educandam, nisi forte id munus alteri committi posset. Sanch. L. 1. d. 8. nu. 15. & seq. quem citat Pirh. loc. cit. num. 10. Kriemer. loc. cit. num. 117. Videtur tamen etiam causa sufficiens resiliendi à talibus sponsalibus contractis tempore lucidi intervalli, dum pars altera credit furorem imposterum cessaturum. Porro dum dubitatur, an actus à furioso gestus tempore furoris, vel lucidi intervalli præsumitur gestus tempore furoris; quia furor præsumitur durare semper, nisi præsumatur ex actus qualitate, eum gestum tempore sanæ mentis.

mentis.

mentis. Sanch. n. 17. Pirh. l. c. & alii ex Barbof. in c. dilectus n. 6. Quod dictum de furioso & amente, locum quoque in ebrio habet, dum tempore ebrietatis contrahit sponsalia; quia & hic caret consensu libero & deliberato. Sanch. l. c. n. 29. Item in correpto actu iracundiæ turbantur usum rationis, ita ut adimat debitam intellectus deliberationem necessariò requisitam ad consensum plenum, de quo intelligendæ l. quidquid calore ff. de reg. juris. l. 3. ff. de divorciis. dum dicunt, quod calore iracundiæ factum est, nullius roboris & momenti reputari, & pro infecto haberi, nimirum dum agens ita motu iræ concutitur, ut quid agat, ferè non percipiat, ut Menoch. & alii apud Barbof. in c. dudum. de convers. conjugat. n. 2. Eum autem calorem iracundiæ fuisse tantum, ut impediverit voluntarium ad peccatum mortale requisitum, adeoque valorem promissionis matrimonii, meritò præsumi potest, si sedato animo in promissione priùs facta non perseveret. Vix tamen locum dicta habent in promittente matrimonium in vehemente & cæco actu libidinosi amoris; eò quòd licet is multum obnubilet rationem, dicaturque furor & amentia quædam; vix tamen unquam tantus sit, ut excuset simpliciter operantem à peccato gravi; adeoque vix unquam in foro externo præsumi possit defuisse sufficiens deliberatio & consensus, & Judex in casu istiusmodi dubitandi indicare debeat secundùm ea, quæ plerumque contingunt, ut dicitur in c. inspicimus. de reg. jur. in l. c. Krimer num. 119. Gobat. Theolog. experim. tr. 10. num. 27. Quamvis, ut Idem num. 26. negari nequeat, eam promissionem in circumstantia libidinosi æstus in ventante copulam non rarò esse dubiam, & ambigi de sufficiente deliberatione. Quòd si tamen quis ita contraheret: volo, ut si in ebrietate etiam plena aut actu iracundiæ promiserit tibi matrimonium, obliget tibi ad illud contrahendum, & pars altera id acceptet repromittendo, erunt quidem sponsalia, sed non formaliter vi istius promissionis factæ in ebrietate, sed antecedentis voluntatis liberè habitæ ante ebrietatem sese obligandi, & dicta promissio facta in ebrietate habebit se tanquam conditio.

Quest. 48. Utrum surdus tantum, & mutus tantum, & mutus & surdus simul, vel etiam insuper cæcus contrahere possint sponsalia.

Resp. ad primum: De surdo tantum & muto tantum non esse dubium, quin validè contrahere possint sponsalia. Quin etiam surdi & muti simul à nativitate contrahere possunt sponsalia, & matrimonium. c. cum apud. b. r. Sanch. l. 1. de sponsal. c. 8. n. 12. Pirh. l. c. n. 11. Sunt enim tales satis perspicacis ingenii, ut signis docere possint, quid sit matrimonium, & nutu, aliisve signis indicare consensum; cum etiam confiteri, & absolvi possint à peccatis.

2. Resp. ad secundum: Surdum simulque mutum, & cæcum contrahere posse sponsalia, & matrimonium, negat Sanch. l. c. n. 13. eò quòd mutus solis signis instrui possit, quid sit matrimonium; cæcus autem hæc signa percipere nequeat, nec etiam verba, cum simul sit surdus. Estque hoc verum moraliter loquendo & ordinariè, etsi fortè physicè non sit impossibile, ut tales ob perspicaciam ingenii sola ratione naturali cognoscant

rationem Sacramenti matrimonii, ut Pirh. ex Tanner. tom. 4. d. 8. du. 2. nu. 32.

Quest. 49. Num raptor cum rapta contrahere queat sponsalia.

Resp. Quemadmodum matrimonium jure novo Trid. Sess. 24. de reform. matr. c. 1. contractum à rapto cum rapta, quamdiu hæc est in ejus potestate, irritum est, ita quoque sponsalia inter tales contracta esse irrita, exinde inferunt propter paritatem rationis, quæ est defectus plenæ libertatis. Sanch. l. 7. de matr. d. 13. nu. 171. & ex illo Robert. König tract. de jure matrim. Princip. & privator. tit. 7. in 4. decret. p. 3. §. 5. Contrarium tradit Perez. de matr. d. 38. sect. 4. nu. 8. & ex eo Wiestn. de imped. matr. a. 16. n. 9. quorum fundamentum ferè consistit in ditione fundamenti oppositæ sententiæ. Nam imprimis negant paritatem rationis, quæ in matrimonio irritando fuit defectus omnimodæ & plenæ libertatis, utpote quod semel contractum validè nullo jure humano rescindi potest; talis autem plenitudo libertatis non requiritur in sponsalibus, utpote quæ etiam validè contracta facilè rescindi possunt; adeoque non exigunt tantam immunitatem à vi & metu, quantum exigit consensus in matrimonio contractum semel factum non amplius rescindibilem. Quin & negant illud principium ab adversariis assumptum, quòd lex etiam correctoria juris antiqui & pœnalis extendi debeat ad casum, in quo eadem omninò militat ratio; eò quòd, cum tota vis legis & juris positivi pendeat à voluntate legislatoris ex justa ratione procedentis, in tali casu, identitas rationis quidem benè concludat, etiam alterum, in quo est eadem omnino, vel etiam major ratio, æquè dignum prohibitione, non autem concludat esse æquè prohibitum, nisi probeatur voluntatem legislatoris ex illa ratione motam, tam ad hoc, quam ad illud prohibendum, ut contingit, dum prohibitio est universalis, & casus non expressus continetur sub universalis, ex qua est illatio necessaria ad particularia sub illa universalis contenta, ut Barb. tract. locor. com. arg. à loco 68. num. 3. Ostendunt hoc ipsum exemplis. Primò, dum c. quanto. de divorciis, ubi Papa consultus, num uno conjugum incidente in hæresin, alter possit ad secunda vota transire, rescribit, & affirmat, id fieri posse, dum unus infidelium conjugum convertitur ad fidem, altero in infidelitate permanente, aut nullo modo illi cohabitare volente, aut non nisi cum injuria creatoris, vel periculo perversionis. Negat autem, si unus conjugum labatur in hæresin, aut errorem gentilitatis, etsi in hoc major (ut inquit textus) appareat injuria creatoris. Secundò, dum dispositio (quæ juxta plures est correctoria juris antiqui & odiosa, utpote restringens jus asylo, seu favorem Ecclesiarum, secundum alios verò etiam favorabilis, utpote directè intendens reverentiam & favorem Ecclesie, intellige in casu homicidii commissi in Ecclesia) per quam ab asylo Ecclesie excluduntur rei assassini, læsæ majestatis, depopulationis agrorum homicidii vel mutilationis commissæ in Ecclesia, extendi non debeat ad casus non expressos, etiam graviore ex ulla quantumcunque causa gravi, ne quidem ob paritatem, aut etiam majoritatem rationis, ut constat ex Constit. Gregor. XIV. quæ incipit: Cum alias nonnulli, edita anno 1591.

Unde

Unde jam etiam generaliter non subsistit dictum principium in subordinatis, ita ut, quando est eadem omnino ratio, dispositio, quod ad unum afficiat etiam alterum, quod ad ipsum ordinatur, nisi ad summum (intellige in prohibitionibus) dum subordinatum ducit ad id, cui subordinatur, illicitè & invalidè faciendum; jam verò sponsalia inter raptorem & raptam fieri possunt de celebrando matrimonio, tunc, quando rapta fuerit in tuto & extra potestatem raptoris; adeoque non est, unde sponsalia illa invalidentur.

Quæst. 50. An & qualem obligationem pariunt sponsalia de futuro.

Resp. Primo: Imprimis sponsalia celebrata inter puberes pariunt obligationem contrahendi matrimonii, *c. Arbo, c. dispensatas, c. de conjugal. 27. q. 2. c. ex literis, c. requisivit, h. t.* standumque in hoc juri canonico, per quod jus civile, quod desponsata alteri nubere non prohibetur, correctum sentiunt ferè omnes. Sanch. *L. 1. de matrim. d. 28. Gutt. de mat. c. 15. n. 1. Castrop. de sponsal. p. 7. n. 1.* Dixi celebrata inter puberes: nam contracta inter impuberes, cum hæc adveniente pubertate dissolvi possint, cessat obligatio. *c. à nobis, de despons. impub.*

2. Resp. Secundo: Est hæc obligatio naturalis; jure enim naturali obligamur servare fidem alteri legitime datam & acceptatam, implerèque pacta & utrinque conventa; ergo, cum sponsalia habeant rationem pacti, (sunt enim contractus nominatus) pariunt obligationem naturalem, & vinculum conscientie obstringens sub peccato. Pariunt item obligationem civilem, qualis arguitur, quando contra violentam aut reuementem implere obligationem jure constitutam vel approbatam alteri conceditur actio, nimirum jus persequendi, hoc est, legitima facultas, seu autoritas permitteus persequi in judicio id, quod sibi debetur; at sponsalibus de futuro legitime conceditur actio tam jure civili, quam canonico; quia sunt contractus, qui jure civili actionem parit, & quia habent positivam juris canonici assistentiam.

3. Resp. Tertio: Ut obligatio gravis seu sub peccato mortali; quia circa materiam gravem, qualis est matrimonium contrahendum. Castrop. *l. c. Sanch. L. 1. de sponsal. d. 27. n. 2.* cum communi; & quidem non solius fidelitatis (nisi fortè contrahentes contra naturam aliàs sponsalium, aut etiam promissionis, ita restrinxissent intentionem suam, ut neuter alteri voluerit se obligare ad constituendam promissario jus exigendi promissum, sed solum ex fidelitate & veracitate, quæ virtutes secundum Cajet. *1. 2. q. 423. a. 1.* & quosdam alios inducunt solum obligationem sub veniali conformandi facta dictis repromissis) sed verè justitia, ita ut, si non stetur conventioni huic sponsalitiæ, agatur contra jus alterius, inferatur ei injuria; promissio siquidem acceptata est pactum, quod est consensus plurimum in idem. *L. 1. ff. de pactis, & ex accepta promissione promissarius acquirit jus exigendi promissum, diciturque is, cui pactum non servatum, passus injuriam. c. 1. §. c. qualiter, de pactis.* ac denique omnis contractus obligat ex justitia. Pith. *h. t. n. 15.* cum communi; jam vero sponsalia sunt verum pactum, & promissio utrimque facta & acceptata contractus nominatus: facio, ut facias; ergo ex dictis infero, &

4. Resp. Quarto: Ex dicta obligatione contrahendi matrimonium orta ex sponsalibus, oritur

R. P. Leurr. Jur. Can. Lib. IV.

obligatio abstinendi ab omni eo, quod eorum executionem impedire potest justè, religionis ingressu excepto; cum obligatus ad finem consequendum tacitè quoque obligetur, ne huic consecutioni impedimentum præstet, Castrop. *l. c. n. 3.* cum Cönnick. *d. 22. du. 1. concl. 2.* sequi quoque videtur, sponso fornicantes cum aliis peccare non solum peccato intemperantiæ, ut docent satis probabiliter Pontius! *de sponsal. L. 12. c. 6. n. 8.* Henricq. *L. 11. c. 18. n. 4.* Covar. & alii apud Castrop. *n. 4.* ex ea ratione, quod non peccetur contra fidelitatem, seu non violetur fides, quippe quæ data tantum de contrahendo matrimonio; non autem de non fornicando interea cum aliis; neque committitur injustitia; eò quod, quamdiu sunt sponsalia, nec dum corpus unius sit alterius, ac proinde fornicando tradatur alienum; sed & committitur infidelitas & injustitia; adeoque hæc circumstantia in confessione fornicationis exprimenda, prout probabiliter docent Sanch. *de sponsal. L. 1. d. 2. n. 5. §. 6.* Cönnick. *l. c. n. 6.* Mol. *rom. 3. d. 73. n. 8.* Laym. *L. 5. tr. 10. c. 1. n. 6.* Gutt. *de mat. c. 1. sub finem.* quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 5.* Ratio est, quia imprimis sponsi sibi invicem fidem dant de corpore nemini alteri tradendo, nisi sibi met; sed, dum alteri extra matrimonium copulantur, alteri tradunt corpus, cujus usus erat sponso reservatus. Dein sponsi sibi invicem jus acquirunt per sponsalia, ut sibi met, & non alteri corpus alterius tradatur, etsi traditio corporum de facto necdum sit. Ad quod tamen satis plausibiliter dici videtur; acquiri per sponsalia jus, ne corpus sponsi tradatur alteri per contractum matrimonii, seu stabilius; non verò, ne tradatur alteri per fornicationem, & quasi transeuntur, quemadmodum venditor equi obligatur ad tradendum emptori equum, ut is tanquam proprietarius utatur illo pro libitu suo; non tamen obligatur ante traditionem illius ad non permittendum alteri usum equi pro una alterave vice, si per hoc equus non deterioretur; quod ipsum efficaciter diluere non videtur Castrop. dicendo simpliciter, & non probando, falsum esse, quod sponsus non obligetur ad non tradendum corpus alteri per copulam fornicariam, cum traditio hæc per copulam fornicariam sit detestabilior, quam matrimonialis traditio. Nam si loquatur de traditione matrimoniali corporis, quæ fit per matrimonium contractum, & non de traditione corporis consistente in ipso actuali usu corporis in matrimonio, detestabilius videtur peccatum violatis sponsalibus tradere corpus alteri, seu contrahere cum alia matrimonio, quam stantibus sponsalibus fornicari cum alia. De cætero docet Sanch. *l. c. n. 6.* cum aliquibus per fornicationem factam à sponso non irrogari sponsæ gravem injuriam, & consequenter non committi gravem injustitiam; eò quod communi æstimatione nulla aut exigua irrogetur infamia sponsæ per hoc, quod ejus sponsus sit fornicatus cum alia, neque sponsa eam injustitiam magni ducat; cum videat ob hominum malitiam id frequens esse in sponsis; secus accidit, dum sponsa fornicatur cum alio, cum ea fornicatio graviter injuriosa sit sponso, non solum ob periculum concipiendæ proles, sed & ob infamiam, quam incurrit ducendo talem, quæ tanta est, ut vix etiam infimæ fortis velit ducere corruptam ab alio. Quæ infamia & injustitia non tollitur per hoc, quod fornicatio sponso, aliisque sit incognita; cum hoc fit per accidens, dum fornicatio hæc per se sit apta causare talia

E

damna.

damna. Quæ tamen distinctio non placet Gutt. l. c. c. 1. n. 10. Coninck. l. c. d. 1. circa finem. Pont. l. c. Castrop. cit. p. 7. n. 6. sed putant adhuc gravem committi injuriam & injuriam inferri sponsæ per fornicationem sponsi ex eo, quod fornicatio tam sponsi quam sponsæ præstat parti innocenti sufficientem causam solvendi sponsalia, & delinquentem repudiandi. c. quemadmodum. de jurejur. dissolutio autem sponsalium & delinquentis repudiatio sit grave quid, & repudiato graviter nocivum, adeoque supponit gravem injuriam, ex qua oritur. Item quodd ex illa fornicatione sponsi nasci possit proles sumptibus sponsæ alenda non sine gravi præjudicio sponsæ. Ac denique, quod per hoc detur sponsæ causa gravis tristitiæ, dum videt aliam fœminam plus diligi à sponso, & justè timere potest, ne sponso idem faciat contracto matrimonio. Porro licet dicta fornicatio sit contra justitiam, non habet tamen rationem adulterii, ut Castrop. num. 8. Sanch. l. 1. d. 2. num. 2. Gutt. n. 16. cum communi. Adulterium siquidem est alieni tori violatio. L. inter. §. 1. ff. ad Leg. Jul. de adult. at dum corpus sponso promissum, necdum tamen traditum est, non est torum illius, siquidem eo uti non potest; ergo usus, quò alius utitur illo, non est violatio tori alieni. Item adulterium cit. L. inter. definitur, quòd sit accessus ad nuptam, sponsa autem de futuro non est adhuc nupta, ergo accessus ad eam non est accessus ad nuptam.

Quæst. 51. Quando nam obligatio sponsalium exequenda.

R Esp. Dum terminus certus non est præfixus executioni (is enim aliàs servandus est, nisi statuatur aliud lege vel sponso mutuo & legitimo consensu facta illius prorogatio) non statim, data tamen opportunitate, obligationem dandam executioni, sed tunc quando pars contrahens requisierit, docent Sanch. l. 1. d. 28. num. 2. Gutt. de mat. c. 15. num. 5. juxta generale principium, quòd debitor obligatus non sit solvere debitum, nisi requisitum, dum terminus præfixus non est; eò quod debitor non exigens debitum tacitè dilationi consentiat; secus sit, si ob nimiam verecundiam, reverentiam, debiti ignorantiam, vel alterius inconvenientis timorem omittit exigere, uti sæpe in sponsalibus ex parte fœminarum contingit, quæ, etsi maximè appetant sponsalia perfici, petere tamen non audent ob naturalem pudorem, vel ob sponso timorem, ne tacto affectu desistant. E contra tenet Castrop. num. 2. citans pro hoc Pont. l. c. c. 6. num. 1. Con. l. c. Bartolom. Ledesm. de matrim. du. 13. sub initium, teneri sponso sponsalia absoluta & pura exequi ab ea die, qua contracta, seu quamprimum opportunè fieri potest; Arg. L. in omnibus obligat. ff. de reg. jur. ubi: in omnibus obligationibus, in quibus dies non ponitur, præsentie die debetur; & L. cum qui. ff. de V. O. ubi: quod sine termino debetur, statim debetur. Secus est in mutuo & precario, quæ non statim, ac contrahuntur, debent reddi, sed arbitrio prudentis; cum aliàs nullius essent utilitatis. Facetur tamen Castrop. regulariter loquendo aliquem à sponsalibus, alteriusve debiti solutione debitorem excusatum esse creditore non exigente; quia creditur tacitè consentire dilationi, nisi omittat exigere ob gravem verecundiam & metum reveren-

tialem &c. Sed dicit, hanc excusationem esse per accidens; quia debitum, excepto precario & mutuo, per se debeat à die, quò contractum est.

Quæst. 52. Qualiter obligentur, qui pro aliis sponsalia promittunt.

R Esp. Tametsi promissio purè alieni facti propriè & in rigore sit nulla, adeoque nullam inducat obligationem, utpote de re, quæ sub promittentis dominio & potestate non est. Tametsi etiam jure communi (intellige civili) sit nulla; quia accipitur pro ut verba sonant; Jure tamen Canonico promissio facti alieni (adeoque & matrimonii contrahendi à Titio) valida est & firma, non quatenus est facti alieni, sed quatenus facti proprii; sonus enim verborum est facti alieni, sed sensus est facti proprii. Siquidem promittens factum alienum, non ipsum, sed curam & diligentiam, ut efficiatur, promittit. Castrop. l. c. p. 5. num. 3. Molin. tr. 2. d. 258. Sanch. l. 1. d. 24. num. 2. &c. hinc promittens Titio filiam suam in matrimonium, eo hanc promissionem acceptante, obligatus est serriò ac diligenter procurare filia consensum, nec sufficit fictè ac simulatè eam procurare, cum ea non sit procuratio, sed procurationis simulatio. Castrop. l. c. Sanch. num. 12. Gutt. de mat. c. 14. num. 5. Quòd si tamen promissioni facti alieni, scilicet matrimonii (idem est de sponsalibus) à tertio contrahendi pœna adjecta est, eam solvere non est obligatus promittens effectu non secuto, si diligentiam debitam, ut sequeretur, adhibuit; non enim justum est, penà affici, qui nullius culpæ reus est. Molin. d. 268. Gutt. num. 6. Sanch. l. 1. d. 25. num. 3. Castrop. num. 4. Secus tamen est, casu quo promissor intenderit se ad solutionem pœnæ obligare effectu non secuto, tametsi omnem diligentiam adhibuerit; quia tunc tenetur ad solutionem, non quatenus pœna est, sed quatenus est facti alieni compensatio. Castrop. num. 5. citatis Maran, in 99. pract. 9. 7. num. 23. Covar. de pactis. p. 2. §. 5. num. 5. Sanch. num. 6. Gutt. num. 8. Quemadmodum etiam promittens fraudulenter, nimirum sciens aut scire debens factum alienum eventurum non esse, obligatus est estimationem rei promissæ solvere, quia promissarium decipit. Molin. Castrop. LL. cit. Sanch. num. 5. Gutt. num. 7.

Quæst. 53. Qualiter compellendus, qui renuit implere sponsalia.

R Esp. Injustè tenuens implere sponsalia, in foro tam interno quàm externo ad ea complenda, seu ad contrahendum matrimonium compelli potest. In foro quidem interno seu conscientia penà omnibus existentibus in peccato, & nolentibus ab eo desistere communi, nempe per negationem Sacramentorum. Castrop. l. c. p. 8. num. 1. In foro verò externo seu judiciali per Judicem ecclesiasticum commonendus prius est, ut obligationi suæ satisfaciatur, sin minùs, censuris ecclesiasticis compellendus est. Castrop. l. c. num. 2. Sanch. l. 1. d. 29. Gutt. c. 15. num. 2. Laym. l. 5. tr. 10. c. 1. num. 4. Pirh. b. t. num. 17. Pont. l. 12. c. 4. num. 2. &c. cum communi juxta e. ex lueris. it. 2. b. t. quin & incarceratione aliisque pœnis, ut Castrop. citatis iisdem

hisdem AA. quia Judex ex officio tenetur procurare, ne subditi injuriam patiantur, neve jus eis debitum negetur; adeoque si à subditis injuriam patientibus requiratur, ut injuriantem compellat ad desistendum ab injuria, isque persistat; obligatus est eam uti compulsionem, quâ prudenter judicaverit, hic & nunc opus esse ad dictæ injuriæ remotionem. Proceduntque hæc ipsa, sive sponsalia jurata sint, sive non; tametsi enim *cu. c. ex literis*. loquatur de sponsalibus juratis, & ibi dicat Pontifex: *Quia contra juramentum venire periculosum est, mandamus, ut eum monneas, & si monitis non acquieverit, censurâ compellas, ut in uxorem recipiat &c.* decisio tamen non nititur juramento, sed sponsalium obligatione & injustitiâ, quæ committitur per non impletionem sponsalium, sive ea jurata sint, sive non. Pirh. Castrop. LL. cit. quamvis, ut iidem cum Sanch. L. 1. d. 29. num. 4. arctius cogendus sit resiliens, dum sponsalia jurata sunt, & arctissime, si puella sub ea fide deslorata.

2. Neque his obstat primò *c. requievit. h. t.* ubi: *mulier que juravit nubere alicui, si postea non vult, monenda potius quam cogenda, quia matrimonia debent esse libera, & coacta saepe habent exitus difficiles*; nam rō potius accipiendum est pro rō prius, ita ut sensus sit, prius monendam, & postmodum, si monita non acquieverit, cogendam, sive præcipuè utendum monitione, & coactione non nisi secundariò, minus principaliter, & non proficiente monitione; & hoc modo *div. cap.* non contradicit *c. ex literis*. Pirh. l. c. num. 20. & alii apud Barbof. in *c. ex literis*. Sed neque talis compulsio, seu coactio obstat libertati matrimonii; ad quod requiritur, ut liberum sit ab omni necessitate extrinseca; non verò etiam ab omni intrinseca, orta nimirum ex jure naturali, supposito libero consensu contrahentium sponsalia, & quam sibi ipsi contrahentes voluntariè & liberè injecerunt; quin & per metum gravem v. g. intentatæ excommunicationis vel incarcerationis, justè tamen incussum non vitiatur matrimonium. Krimer, ad 4. decret. num. 176. adeoque non subsistit universaliter intellectum, quod ait Pirh. h. t. num. 20. matrimonium ejus, qui liberè sponsalia contraxit, metu graviter postmodum contractum est ipso jure nullum. Nihilominus argumento & occasione dicti *c. requievit.* observant & monent Gutt. de mat. c. 1. num. 2. Cón. d. 22. du. 1. num. 10. Castrop. num. 3. Pirh. num. 19. & 20. & AA. passim, Judicem uti debere coactione moderata, & ad aliquod breve tempus, & non absolute & in perpetuum; quin &, cum tales coactiones, ut dicitur *cit. c. requievit.* soleant habere exitus difficiles, dum prævidentur & justè timentur publica scandala & gravissima mala, expedit quandoque abstinere à tali compulsionem, & sic permittere minus malum (quale est violatio sponsalium) ut majus malum (quale sunt dicta scandala) evitetur, præsertim cum spectet ad Judicem cogere sponfos ad matrimonium contrahendum, si id expediat ad finem matrimonii, non verò ubi id repugnaturum creditur huic fini, qui est mutuum obsequium & conjugalis amor, quem sibi invicem exhibere debent conjuges. Unde si videat Judex, se nihil profuturum censuris, aliisque penis, aliâ viâ compellendus erit resiliens, ut parti læse satisfaciatur, Sanch. cit. d. 29. n. 7. Quin etiam ubi videt, se jam impositâ censurâ nihil proficere, & sponsum pertinacem remanere, debere ab

R. P. *Leur. Jur. Can. Lib. IV.*

ea illum absolvere etiam non petentem, docent Sanch. l. c. Pirh. l. c. citans Covar. in epitom. 4. decret. p. 1. c. 4. n. 5. Castrop. cit. n. 3. ne censurâ coactus fingat consensum, & sponsa deslorata recedat.

3. Neque secundò obstat *L. stipulationes. §. Celsus. de V. O.* ubi deciditur, in obligationibus facti neminem compelli, sed soluto interesse liberari; nam id intelligendum, ut Castrop. n. 4. de factis, quæ æstimationem recipiunt; cum horum obligatio ex tacita contrahentium voluntate non sit ad factum præcisè, sed ad factum vel illius interesse; secus de factis, quæ æstimationem non recipiunt, seu pretio compensari nequeunt, ut sunt sponsalia & matrimonium.

Quest. 54. Quis sit Judex compulsionis in hac materia, & dum adest causa dissolvendi sponsalia, à quo ea debeat judicialiter cognosci.

1. Resp. Ad primum: ubi movetur questio de valore sponsalium, vel de causa ea dissolvendi, Judex cognitionis est tantum Judex ecclesiasticus; quia agitur de jure spiritali, seu vinculo annexo causa spiritali & peccato vitando. Si verò agatur de solo facto vel obligationis executione, Judex compulsionis esse potest tam laicus, quam ecclesiasticus; uterque enim compellere potest resiliens, ut contractum observet, etiam si juramento firmatum. Castrop. cit. p. 8. n. 6. citatis Abb. in *c. ex literis. it. 2. h. t. n. 4.* Sanch. L. 1. d. 29. n. 9. Gutt. de mat. c. 35. n. 8. Pont. L. 12. c. 6. n. 5. &c.

2. Resp. Ad secundum: Dum causa resiliendi justa allegatur, & deferitur ad Judicem, opus non esse eam judicialiter cognosci, sed satis esse, si Judex ex iis, quæ præ oculis habet, eam intelligat, tradit Sanch. l. c. n. 6. citans pro hoc Gutt. c. 15. n. 2. Pont. ubi ante, n. 5. in fine. contrarium, nempe opus esse judiciali cognitione, censet Castrop. eò quòd, cum Judex officio obligatus sit compellere resiliens sine causa, nequeat ab hac obligatione publica liberari, nisi ex causa authenticè probata.

Quest. 55. Quis præter obligationem sit effectus sponsalium.

Resp. Illum esse duplicem, nempe impedimentum duplex matrimonii cum alio: Primum impedimentum est impediens matrimonium cum quocunque vel quacunque alia; dum nimirum stantibus sponsalibus, tam sponsus quam sponsa impeditur contrahere matrimonium cum tertio, ita ut, si alteruter sponforum violata fide contrahat matrimonium cum alia, vel alio, contractus hic matrimonialis valeat quidem, nec compelli possit ullatenus, ut redeat ad priorem sponsum, vel sponsam, peccet per hoc tamen mortaliter, & ad injuriam & damnum illatum alteri compensandum compelli possit. Alterum impedimentum non tantum reddens illicitum matrimonium cum alio, sed & dirimens illud contractum cum consanguineis alterius; diciturque impedimentum publicæ honestatis, ex eo, quòd regulariter minus decens & justum videatur, ut sponsus in uxorem habeat sponsæ suæ consanguineam, vel sponsa in maritum consanguineum sui sponsi. Verùm de hoc commodiùs infra, ubi de impedimentis matrimonii dirimentibus.

CAPUT VI. De dissolutione Sponsalium.

Quest. 56. An & qualiter per ingressum religionis solvantur sponsalia.

R Esp. Primò : Indubitatum esse solvi ea ex parte utriusque per ingressum religionis professione secuta in religione approbata ; siquidem hæc etiam solvuntur sponsalia de præsentate, seu matrimonium ratum, ita ut etiam alteri parti sit licitum transire ad secunda vota, seu nubere alteri, prout hæc clarè habentur *c. 2. de convers. conjugat.*

2. Resp. Secundo : Per ingressum religionis, vel potius novitiatus, sive animo vero, sive ficto emittendi professionem, hac non secuta, solvuntur sponsalia ex parte remanentis in sæculo, ita ut illa mox deobligetur, possitque licitè contrahere matrimonium cum alio, Sanch. *L. 1. d. 42. n. 2.* Gutt. *c. 25. n. 1.* Pont. *l. c. c. 10. n. 3.* Laym. *L. 5. tr. 10. c. 2. n. 2.* Rebell. *de mat. L. 4. q. 6. f. 6.* Castrop. *p. 18. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 50.* cum communi contra Covar. Cajet. Palud. Pet. Ledesm. & alios apud Sanch. *l. c.* sponsalia siquidem de futuro hanc tacitam imbibunt conditionem ; si non contingat notabilis mutatio, seu non reddatur sponsus vel sponsa deterior ; jam verò dubium non est per illum ingressum in novitium & assumptionem habitus religiosi, ejusque abjectionem fieri notabilem mutationem, dum non levi probro tribueretur remanenti in sæculo, si teneretur recipere in sponsum vel maritum aut uxorem eum, vel eam, qui, vel quæ habitum Religiosum excussit & religionem, deseruit. Item gravi foret oneri, si toto tempore novitiatus deberet eum expectare. Adde, quòd ingrediens novitium, præsertim animo vero emittendi professionem, ipso hoc facto suo censetur renunciare sponsalibus, & alteri parti remittere obligationem. Econtra non solvuntur ex parte ingredientis ante emissam professionem, ut probabilius docent Laym. *l. c. n. 3.* Castrop. *l. c. n. 3.* Pont. *l. c.* Henriq. *L. 11. c. 14. n. 3.* Pirh. *cit. n. 50.* contra Sanch. Gutt. *LL. cit.* Tolet. *L. 7. c. 21.* Sylv. *v. sponsalia. q. 10. cas. 2.* siquidem imprimis per hoc sponsalia non solvuntur ex natura rei ; cum possit ex novitiatu exire & complere sponsalia, dum talis ingressus in religionem, seu novitiatus non sit status aliquis impossibilis cum matrimonio. Sed neque jus ullum positivum dissolutionem sponsalium ex tali causa concedit, malè etiam ex eo, quòd jus id concedat in favorem religionis, respectu matrimonii rati tantum, infertur, concedi quoque id ipsum respectu sponsalium ; cum in his, quæ à jure positivo pendent, non sit argumentandum ab uno casu ad alterum, maxime, ubi est diversa ratio, uti est in præsentate, dum professio constituit statum perfectionis, quam religiosus deferere non potest ; novitiatus verò neque est status, neque via firma ad statum, cum non includat obligationem emittendi professionem, sicut sponsalia includunt obligationem contrahendi matrimonium. Neque denique solvuntur ab extrinseco, nimirum ex eo, quòd pars remanens in sæculo obligationem ingredienti novitium remittere præsumatur ; quia illa præsumptio nullo fundamento nititur ; dum licet, ut dictum, ex assumptione in maritum vel uxorem, qui habitum religionis abjecit, oriatur dedecus ali-

quod, frequentissimè tamen pars altera hoc non attento parata sit cum tali contrahere matrimonium, si egrediatur, & hinc non gravetur expectare abolutionem novitiatus. Neque opponi potest, quòd sicut obligatio voti religionis facti bona fide, seu animo perseverandi solvitur per ingressum in religionem, ita ut licet contingat voventem ex justa causa rursus egredi ad sæculum, sit tamen liber à voto ; ita etiam sponsalia solvi per ingressum religionis factum bona fide, ut licet contingat eum justa de causa egredi, tamen liberetur ab obligatione sponsalium ; nam disparitas in eo est, quòd votum ingrediendi religionem, utpote imbibens hanc tacitam conditionem : si religio mihi placuerit seu conduceret, jam impletum sit per ingressum in novitium bona fide factum, adeoque egrediens justa de causa jam amplius eo non obligetur ; sponsalia verò per talem ingressum non sunt impleta, cum talem conditionem non imbibant.

Quest. 57. An post consecrata sponsalia juramento firmata liceat ingredi religionem.

R Esp. affirmativè : ita Sanch. *L. 1. d. 43. à n. 3.* Gutt. *c. 25. n. 2.* Pont. *cit. c. 10. à num. 9.* Henriq. *L. 11. c. 13. n. 3.* Castrop. *cit. p. 18. n. 5.* contra Rebellum. *l. c. q. 8. f. 6. concl. 2.* Nav. Vegam & alios apud Sanch. natura enim matrimonialis promissionis, cui adhæret, & quam sequitur juramentum, imbibit hanc conditionem : nisi promittens velit etiam ingredi religionem : quæ conditio, cum non insit sponsalibus jure positivo, sed ex naturali aut divino privilegio ob perfectionem status religiosi majorem, non potest ab Ecclesia ab iis excludi ; sponsalia enim jurata exequi, non est ita perfectum, ac est status religiosus. Neque opponas primò *c. commissum. h. t.* ubi, cum quidam, postquam femine sub juramento fidem dedisset de matrimonio contrahendo, vellet ingredi religionem, consultus Papa respondit, tutius esse religione juramenti servata postea (hoc est, contracto matrimonio, eoque non consummato) si elegerit (hoc est, persistat in animo ingrediendi religionem) ad religionem migrare : ergo non licet post contracta sponsalia jurata, non contracto prius matrimonio religionem ingredi : nam negatur sequela ; non enim dicit Papa, non licere ingredi religionem, non contracto prius matrimonio ; sed dicit esse tutius prius contrahere, & postmodum ante consummationem ingredi ; quòd solum est consilii, ut Sanch. *d. 43. n. 3.* Barbol. *in cit. c. n. 2.* & hæc est communis interpretatio *cit. cap.* Quin etiam, ut addit Castrop. citatis Sanch. Gutt. Covar. juvenem illum, de quo *cit. c. commissum*, nondum firmiter statuisset de ingressu religionis, ut colligunt ex illis verbis : *Si postea elegerit religionem, & ad eam suspiret* : quo casu sine dubio tutius erat juramentum implere, quàm cum non-deliberatione religionem ingredi, aut etiam protrahendo matrimonium sub religionis tepido desiderio exponere se periculo violandi juramentum. Possè autem aliquem inire matrimonium animo ingrediendi religionem ante consummationem, certum videtur, quia utitur jure sibi concessio ; esse tamen hoc ipsum

ipsum peccatum contra caritatem, si matrimonium inaeatur isto animo sponsae non manifestato (nisi forte ex ista manifestatione damnum aliquod tali animo contrahenti imminet) docent Castrop. num. 7. Sanch. d. 43. n. 12. Gutt. c. 25. n. 5. eò quòd praesumi possit sponsam non consenturam contractui, si eum animum sciret, cum cogatur esse absque nuptiis, quousque talis profiteatur, vel etiam, si is religionem deleterat, esse uxor illius, qui fuit monachus. Quòd si tamen etiam interesset alterius ex contrahentibus, matrimonium prius contrahi. V. G. quòd hac ratione famae foeminae consulatur, & proles ex ea nata legitimaretur, Sanch. Gutt. Henric. apud Castrop. l. c. n. 5. censent non posse talem ingredi religionem. Quòd certum est, ubi spe matrimonii deflorata mulier; vel etiam, si non secuta copulâ, gravem tamen famae iacturam fecit; cum talis non potest injuriam virginitatis aut famae aliter refarcire. Pirh. num. 54. citans Sanch. l. 1. d. 44. num. 3. & 4.

Quest. 58. An & qualiter sponsalia dirimantur susceptione ordinis sacri.

1. Resp. Ad primum: Affirmative est communis; quia per susceptionem ordinis sacri assumitur status incompatibilis, cum matrimonio, seu quo quis redditur inhabilis ad matrimonium contrahendum.

2. Resp. Ad secundum: Solvuntur tamen hac ratione sponsalia illicitè; seu illicitè, veniente sponsa, suscipiuntur ordines sacri, Pirh. h. e. num. 55. Castrop. p. 19. n. 2. citatis Rebell. l. 4. de matrim. q. 9. sect. 9. Sanch. d. 47. Coninck. d. 23. du. 3. num. 25. contrarium sentientibus Ponc. l. 12. c. 11. n. 3. Gutt. c. 26. n. 2. Henric. l. 11. c. 14. Nav. c. 22. n. 25. & idem indicante Laym. l. 5. tr. 10. part. 1. c. 2. n. 7. contrario omnino fundamento nituntur hi AA. Posteriores in eo fundant se, quòd velint in sponsalibus tacite includi hanc conditionem: nisi elegero statum perfectiorem. Negant id ipsum alii, ajuntque ideo in sponsalibus conditionem status religiosi subintelligi exceptam; quia vel jure divino, vel saltem ecclesiastica sponsalia dirimit ob specialem ejus perfectionem, uti & propterea matrimonium ipsum ratum dirimit. Extrav. antiqua. de vot. Ordo autem clericalis vel etiam sacer nec jure positivo nec divino dirimit sponsalia; si enim ex hoc dirimeret, ea censeretur conditio imbibita in sponsalibus; quia est status perfectior quam conjugalis; jam omnia juramenta praestita in favorem hominis posset quis non exequi, affirmans in iis imbibiti conditionem: nisi perfectius elegero; quòd falsum est; confirmatur etiam ab illis ex praxi, quâ ab initiando sacris ordinibus quari solet, num contraxerit sponsalia; quòd signum est, neminem his contractis licite promoveri posse ad ordines.

Quest. 59. An & qualiter sponsalia impediuntur vel solvantur, per votum ingrediendi religionem vel ordinis sacri suscipiendi, vel continentiae.

1. Resp. Ad primum: Votum religionem ingrediendi (idem est de voto suscipiendi sacrum ordinem aut servandi continentiam) conceptum ante sponsalia, reddit ea, etiam juramento firmata, irrita c. rursus. qui clerici vel voventes. Siquidem per talia sponsalia promittitur res illicita. Nihilominus si post tale votum honestam foemina sub fide data de contrahendo matrimonio quis defloraverit, non tantum poterit (quòd negant Nav. l. 4.

consil. tit. de sponsal. cons. 21. Rodriq. sum. tit. 1. c. 208. n. 11. Vivald. can. de l. aur. part. 3. de Sacram. c. 14. n. 65.) sed & tenetur foeminam illam ducere, non tam ob promissionem praecise, sed ob traditionem corporis sui bona fide (secus si puella conscia voti illius fuerit) factum sub conditione & pacto matrimonii futuri; aequitas enim naturalis non permittit, ut cum damno tanto proximi quis sit liberalis. Cumque votum tale per matrimonium non extinguatur, sed suspendatur; suspensio autem voti talis fieri possit ob varias causas incidentes, V. G. ob supervenientem parentum indigentiam, poterit quoque & quidem a fortiore fieri ob honorem puellae deceptae servandum. Hanc sententiam tenent Sanch. d. 45. n. 3. Gutt. c. 25. n. 7. Lessl. l. 2. c. 10. du. 14. Valq. de rest. c. 3. in fine. Laym. l. c. n. 4. Castrop. l. c. p. 18. n. 9.

2. Resp. ad secundum primum: Post contracta sponsalia etiam jurata utrumque emissum votum in religionem, vel etiam suscipiendi ordinis sacri sufficientem sponsae praebet causam resiliendi a sponsalibus; cum talis vovens tacite suo juri renunciet, Castrop. p. 20. n. 1. Sanch. d. 46. n. 5.

3. Resp. ad secundum secundum: Tametsi Laym. l. c. Sanch. n. 2. Gutt. c. 26. n. 3. Pont. l. c. c. 11. n. 2. & alii cum communi doceant, absolute per votum religionis dirimi praecedentia sponsalia; censet nihilominus Castrop. ex parte voventis non solvi sponsalia, priusquam promissionem emitat. Unde dum liberaretur a voto illo, eò quòd in nullam religionem admittatur, vel admissus in ea non perseveret, obligatus esset ad sponsalia implenda sponsa volente; cum nullibi cautum, tali voto, uti nec habitus religiosi susceptione, professione non secuta, solvi sponsalia. De cetero num post emissum votum tale possit quis adhuc inire matrimonium, animo ante consummationem illius ingrediendi religionem, non convenit inter AA, affirmant aliqui apud Sanch. d. 43. n. 6. Negant ipse Sanch. n. 7. Gutt. c. 25. n. 4. Castrop. p. 18. n. 8. eò quòd talis ineundo matrimonium exponat se manifesto periculo violandi votum suum, cui periculo se exponere est illicitum, nisi causa aliqua gravis excuset.

4. Resp. ad secundum tertium: Per votum suscipiendi ordinem sacrum solvuntur sponsalia, non secus ac per votum ingrediendi religionem in eorum sententia, qui docent, susceptione ordinis sacri ob hujus perfectionem solvi sponsalia; contrarium est in sententia docentium, contractis sponsalibus illicitè suscipi ordinem sacrum; adeoque invalidum esse votum de eo suscipiendo.

5. Resp. ad secundum quartum: Voto continentiae non tantum ex parte non voventis (utpote qui cognito tali voto potest cum alio inire licite sponsalia & matrimonium) sed integrè solvi sponsalia; docent Pont. l. c. c. 12. n. 4. Valq. opusc. de rest. c. 3. §. 3. du. 6. n. 17. Suar. l. 2. de voto. c. 4. n. 13. Gutt. de mat. c. 26. n. 1. Azor. p. 1. l. 11. c. 21. q. 10. Castrop. p. 20. n. 6. contrarium tenent Sanch. l. 1. d. 46. n. 9. Laym. l. c. c. 2. n. 6. non negant tamen hi posteriores AA. votum tale esse omnino invalidum; sed docent, quòd quamvis invalidum sit, quatenus continet obligationem non contrahendi matrimonium cum eo, cui fidem dederat, valeat tamen, quatenus continet obligationem contracto matrimonio non petendi ab ea debitum, neque etiam non nubendi alteri; nec mirum sit, quòd ex parte sit validum, & ex alia parte invalidum; cum respiciat diversa objecta juxta c. placet. de convers. conjugat. Ratio verò horum AA. est, quòd conditio illa: nisi voluero

celibem vitam ducere: non intelligitur seu imbibitur in contractu sponsalium ex natura rei; quia aliàs in qualibet promissione facta homini intelligeretur excepta conditio de meliore bono, quod, ut ait Castrop. absurdum est. Unde etiam quod dicitur *c. per venit. de jurejur.* promissum non censetur infringere, qui in melius commutat, intelligendum est de promissionibus soli Deo factis; non verò in iis, quæ fiunt in favorem hominum, quibus non semper placent meliora, & quorum violatio derogat juri quæsito alterius. Barbof. *in cit. c. 2.* Neque ea subintelligitur ex jure positivo; cum solus religiosus status ob singularem ejus perfectionem inveniat exceptus, quæ exceptio ad alios casus non est extendenda; cum hæc extensio cedat in præjudicium juris acquisiti alteri. Neque etiam ex mutuo consensu contrahentium, cum hi nihil minus quam jus servandi castitatem sibi reservare intendant. Ac denique votum castitatis non judicari sufficiens ad solvenda sponsalia patet ex eo, quod sponsus renuens implere sponsalia compellitur à Judice, tam etsi assermet, se astrinxisse voto castitatis, nisi religionem ingrediatur, ut tenet ipse Azor. *l. c. Palud. in 4. d. 27. q. 1. cas. 5.* Sylv. *v. sponsalia, q. 1.* Ad illud autem, quod obmovent adversarii, nimirum dum duo vincula incompatibilia concurrunt, fortius prævalere; vinculum verò castitatis esse fortius vinculo sponsalium, facile respondent, vinculum illud castitatis respectu ad sponsum non esse validum; esse vero validum quò ad alios, adeoque non impedire sponsalia contracta, sed contrahenda. Porro cum talis vovens juxta hos AA. teneatur contrahere matrimonium, & reddere debitum, non tamen possit illud petere, expedit, cum petere ab Episcopo aliisve privilegium habentibus dispensationem, quæ facile concedi solet ob periculum incontinentiæ. Laym. Castrop. *ll. c. 1.* De cæterois, qui antè vel post sponsalia aut etiam matrimonium ratum vovit castitatem, non tenentur ingredi religionem vel ordinem sacrum suscipere, etsi hæc sit via tutior servandi illud votum, ut tenent Vega. Nav. Palud. Sylv. & alii apud Castrop. *n. 8.* cum non teneatur uti medio tam arduo & difficili ad voti observationem, ut cum communi tradunt Sanch. *d. 46. n. 13.* Gutt. *c. 26. n. 1.* Laym. *l. c. n. 9.* Lessl. *2. c. 41. n. 52.* Castrop. *n. 9.* Quod attinet ad *c. veniens. qui clerici vel voventes*; in quo se fundant utriusque partis AA. ubi quædam mulier sponsalia contraxit cum alio absente, cujus favitiâ perterrita ex suavis alicujus Eremitæ emisit votum castitatis, quo emissio & viro illo ad alias nuptias transiente, ipsa quoque nubere alteri volebat ob periculum incontinentiæ; Papa Alexand. III. desuper consultus respondit: *Hos itaque attendentes tutius esse, ut prefata mulier post fidem & votum simpliciter oblarum matrimonium contrahat, quam fornicationis reatum incurrat, mandamus, quatenus, si plus non processit, sibi de fidei mentitâ & voto violato satisfactionem indicas, & ei, cui vult nubere, in Domino licentiam concedere non postponas.* Ex quo, ut censent AA. primæ sententiæ, patet, votum illud validum fuisse, aliàs dispensatione non eguisset; quòd autem videantur & sponsalia valuisse, dum fœminæ ob violatam fidem imponitur pœnitentia, id Azor. & Pont. dicunt processisse quò ad forum externum, in quo nondum de voto constabat; eo verò probato concessam fuisse dispensationem in voto. E contra AA. alii, *cit. cap. suæ* potius sententiæ favere putant; eò quòd Papa præcipiat illi fœminæ injungi pœnitentiam, & pro violato voto (per voluntatem nimirum, quam habebat violandi illud nubendo alteri, ut Glos. *ibi.*) & pro fide sponso mentita; adeoque constiterit Papa votum,

& vi illius violatio sponsalium, ac consequenter non censet Papa ex illo voto non dissolvi sponsalia; aliàs illo facto non esset fides sponsalium violata.

Quæst. 60. An & qualiter solvantur sponsalia per sponsalia de futuro subsequuta.

1. Resp. primò: Per sponsalia posteriora absque juramento vel copula non solvantur priora; cum illa posteriora sint nulla, utpote de re illicita & alteri debita. Ex parte tamen repulsi dissolvuntur; tum quia contrahens secunda prioribus renuntiare censetur; tum quia alteri sufficientem caulam resiliendi præbet; Castrop. *p. 22. n. 1.* cum communi. Proceditque id ipsum, etiam si sponsalia posteriora sint juramento firmata; quia adhuc sunt in valida, utpote de re iniqua cedente in præjudicium tertii; neque juramentum debet esse vinculum iniquitatis, alitrigens ad id, quòd licite fieri non potest *c. quamvis. pactum. de pactis n. 6.* ubi: quòd juramentum pacto appositum servandum est, cum non redundat in alterius detrimentum; & *c. cum contingat. de jurejur.* ubi, quòd servari debeant hujusmodi juramenta, cum in alterius præjudicium non redundat: ita tenent cum communi Pirh. *n. 56.* Castrop. *n. 2.* Sanch. *l. 1. d. 50. n. 2.* Gutt. *c. 28. num. 1.* Porro cessantibus aliunde prioribus sponsalibus V. G. quia sponsa moritur, ingreditur religionem, posteriora sponsalia contracta tempore priorum sponsalium valere; & vi eorum obligari quem ad contrahendum cum secunda; tenent Rebell. *l. 4. q. 8. f. 6. concl. 4.* Covar. *in 4. decret. part. 1. c. 4. §. 1. n. 10.* contrarium, sive nullam esse obligationem contrahendi melius tenent Sanch. *n. 6.* Cóninck. *d. 23. du. 4. n. 29.* Castrop. *n. 4.* eò quòd contrahens illa sponsalia secunda intendit se obligare absolute, & non sub conditione (si priora sponsalia solvantur) ergo cum sic contracta sponsalia durante valore priorum sponsalium non potuerunt inducere obligationem ullam, neque tempore solutionis priorum sponsalium vim ullam habent obligandi.

2. Resp. Secundo: Dum secundis sponsalibus accessit copula muliere ignara priorum sponsalium, & permittente copulam sub spe & promissione matrimonii, priora sponsalia nullam specialem qualitatem adjunctam habentia solvantur ex parte utriusque; Castrop. *p. 22. n. 6.* citatis Major. *in 4. d. 27. q. 5.* Rebell. *l. 4. de oblig. just. q. 8. f. 8. n. 56.* Cón. *l. c. concl. 4. n. 34.* Pont. *l. c. c. 14. n. 4.* contra Sotum. *in 4. d. 27. q. 2. a. 4. du. 3.* Henriq. *l. 1. 1. de mar. c. 13. n. 3.* Sanch. *l. 1. d. 49. n. 5.* Gutt. *c. 27. n. 7.* e quibus tamen Gutt. & Henriq. sic limitant suam sententiam, ut, si secunda fœmina grave damnum pateretur, si sponsalia cum ea contracta non implerentur; prima verò fœmina nullum vel leve, hæc teneretur obligationem suam remittere, ut grave damnum alterius evitetur, in quo casu Judex possit compellere contrahentem, ut cum secunda contrahat matrimonium. Ratio responsionis est, quòd obligatio contrahendi matrimonium cum secunda sit ex contractu oneroso ob usum corporis sub ea conditione permissum; priorum verò sponsalium obligatio sit omnino gratuita & liberalis; obligatio autem liberalis, utpote de concedendo lucro, cedere debeat obligationi onerosæ, quæ est de vitando damno, cui semper favendum. Quemadmodum si equum liberaliter promissum Petro vendas Joanni pretio accepto & consumpto, equum debes tradere Joanni. Arg. *l. quoties. c. de rei vindic.* ubi: *Res vendita auri, & alteri vendita & tradita, huic debetur;* debet itaque contrahens illa sponsalia secunda fœminæ illi, quæ aliã viã non vult sibi satisfieri, se tradere in conjugium. Unde licet sponsa prior privetur jure sibi quæsito,

id

id ei sustinendum est, ne secunda sponsa gravius lædatur. Porro quæstio, num per posteriora sponsalia subsecutâ copulâ solvantur prima tanquam per verum matrimonium consummatum in iis partibus, ubi Tridentinum non est receptum; non caret difficultate; in qua certa est affirmativa; si sponsi hac ratione, nimirum habendo copulam contrahere voluerint matrimonium. Dum verò de intentione non aliter constat quàm ex eo, quòd secunda sponsalia contraxerunt, & postmodum copulam habuerunt, longè verius putat Castrop. n. 8. præsumi debere, copulam illam habitam affectu conjugali, & antecedenter ad eam explicuisse suos consensus de præsentè; cum præsumptio delicti, quòd ad fieri potest, sit omnino vitanda. Unde etiam Ecclesia præsumit sponso de futuro se cognoscendo contractum matrimonii copulâ præmississe, uti docent Sanch. l. c. n. 1. Henriq. n. 3. Pont. e. 14. in fine.

Quæst. 61. An & qualiter priora sponsalia solvantur per secunda de præsentè, sive per subsequens cum alia matrimonium.

1. Resp. Primo: Indubitatum est solvi illa ex parte illius, quæ non contraxit matrimonium; quia huic præbetur iustissima causa resiliendi, etiam absque eo, quòd contrahens remitteret ei obligationem. Unde procedit id ipsum, etiam si invalidè contraxisset matrimonium. Sanch. l. 1. d. 42. n. 1. Gutt. c. 27. n. 2. Coninck. d. 23. d. 4. concl. 1. n. 28. Castrop. p. 21. n. 1.

2. Resp. Secundò: Indubitatum quoque est contrahentem matrimonium invalidè non liberari obligatione sua, sponsâ primâ nolente eam remittere; Sanch. Gutt. ll. cit. Castrop. n. 2. quia non præstat impedimentum (intelligi implendi prima sponsalia) quòd de jure non sortitur effectum; reg. non præstat. de reg. jur. in 6.

3. Resp. Tertio: Matrimonio cum secunda contracto, dissoluto dein per ejusdem mortem vel professionem religiosam non esse priora sponsalia soluta, quòd ad eum, qui matrimonium illud contraxerat; sed teneri eum priore sponsâ volente eam ducere, docet Castrop. n. 4. cum Pont. l. 12. c. 13. n. 4. Vega. l. 6. sum. cas. 125. Coninck. l. c. concl. 3. n. 32. Ledesma. & alii, contra Sanch. l. c. n. 3. Gutt. l. c. n. 3. Laym. l. 5. sum. tr. 10. p. 1. c. 2. in fine. Rodriq. vir. 1. sum. c. 245. n. 8. Pirh. h. t. n. 49. eò quòd matrimonium sublequens, eo durante, sponsalium priorum executionem impedit, obligationem tamen illorum non extinguat. Non ex jure positivo; quia textus c. scut. & c. si inter. h. t. adducti ab adversariis solum decidunt, talem contrahentem matrimonium cum secunda debere manere cum secunda; nihil verò decidunt, num per hoc solvatur ab obligatione priorum sponsalium, ita ut soluto illo matrimonio, non teneatur ducere primam. Non jure naturali; cum priorum illorum sponsalium obligatio optimè consistere possit cum matrimonio cum alia contracto, suspensa veluti, & eo soluto reviviscens; & hoc quidem convenientissimè, ut Castrop. ne matrimonium malitiosè contrahens commodum sine necessitate ex sua industria reportet, & pars relicta damnum & juris sibi debiti privationem. Confirmantur hæc exemplis. Primò religionem vovens, si contrahat matrimonium, hoc soluto, tenetur intrare religionem; quia obligatio voti religionis licet suspensa fuerit tempore matrimonii, non tamen fuit extincta; quia hæc extinctio non fuit necessaria. Secundò si Petro promittas vel vendas

equum, & hæc promissione vel venditione non obstante Joanni vendas & tradas equum, equus sit Joannis, sed si Joannes tibi redderet equum, teneris illum equum tradere Petro, ac ita priorem venditionem exequi; quia id facere potes. Neque opponas textum l. 5. de regular. in 6. ubi votum profitendi in strictiore extinguitur per professionem in laxiore; nam id provenit ex speciali juris positivi dispositione nempe cit. cap. ubi id tribuitur solennitati votorum seu professionis in religione laxiore, ut pax monasteriorum & profitentium servetur; disparitas etiam est in eo, quòd professio sit vinculum perpetuum, quòd sola morte profitentis extingui potest; matrimonium verò solvi potest morte vel professione alterius contrahentis, quòd soluto aptus est priorum sponsalium obligationem implere. Item quòd in casu cit. cap. item sit creditor, nempe Deus, cui præstaretur res præstantior professione in religione laxiore, quàm quòd præstitum per votum ingrediendi religionem strictiorem, ita Castrop. n. 5.

Quæst. 62. An & qualiter ex causa fornicationis, osculorum & tactuum impudicorum solvantur sponsalia.

1. Resp. ad primum primò: Ex fornicatione solvantur sponsalia ex parte innocentis (non verò ex parte nocentis; cum is ex iniquitate sua commodum reportare, & innocentem jure suo privare non debeat) si enim per eam solvatur ipsum conjugium, quòd ad torum seu cohabitationem, multò magis obligatio remota ad talem cohabitationem. Castrop. p. 25. n. 1. Pirh. n. 60. cum communi juxta c. quemadmodum. de jurejur. Procedit id ipsum, etiam si sponsalia sint jurata; cum juramentum sequatur naturam actûs, cui apponitur. Sanch. l. 1. d. 55. Gutt. c. 31. n. 1. Laym. l. c. an. 10. Castrop. Pirh. ll. cit. Item, sive sponsus sive sponsa fornicetur; cum uterque sponsorum vi sponsalium sit æquè obligatus corpus suum nemine tradere ad usum, sed servare comperti. Pirh. Gutt. Castrop. Laym. ll. cit. Sanch. d. 55. n. 4. Menoch. de arb. cas. 455. n. 5. Covar. in 4. decret. p. 1. c. 5. sub n. 2.

2. Resp. ad primum secundò: Sponsalia quoque dissolvi ob copulam violentam sponsæ, seu sponsam violenter oppressam; non quidem quia sponsa violavit fidem, aut suspectam se reddidit de violanda fide stante matrimonio; sed quia reddita notabiliter vilior, & probrosum sit ducere talem, exponaturque sponsus periculo alendi alienam prolem. Unde c. raptor. 27. q. 2. permittitur sponso sponsam sine culpa raptam ducere vel repudiare; ita cum communiore docent Sanch. l. 1. d. 55. n. 7. Laym. n. 10. Covar. n. 5. Sylv. v. Sponsal. n. 10. Cas. 7. Castrop. n. 5. contra Fabien. & Armill. v. Sponsalia. De sponso verò vim patiente, seu per vim adacto (si fortè id fieri potest) contrarium, nempe sponsam non posse propterea resilire à sponsalibus, sentiunt Castrop. n. 6. Sanch. l. c. n. 8. Pont. c. 17. num. 3. & c. contra Gutt. c. 31. de mat. n. 3. & Gl. in c. sic quoque. 27. q. 2. in fine; eò quòd per hoc nulla infamia accrescat viro. Putat tamen Castrop. posse sponsam solvere sponsalia ob sponsum Sodomiticè cognitum; eò quòd negari nequeat ob tale stuprum viliozem redditum, & fœminæ probrosam talem ducere.

3. Resp. ad primum tertio: utroque sponso fornicante, sponsum resilire posse, non sponsam, tenent Laym. n. 11. Sanch. n. 9. Gutt. n. 4. Pont. c. 17. n. 3. cum communiore, eò quòd licet ob fidei jurisque promissi violationem utriusque sponsi fornicatio sit æqualis, ob notam tamen & infamiam sit

lit

fit inæqualis; quippe fornicatio sponsæ est fædior & sponso detestabilior, arg. l. *est crimene. c. ad leg. Jul. de adult. l. palam. ff. de ritu nupt.* Neque obstat, quòd stante matrimonio hæc delicta mutuo compenentur, & neutra pars se ab altera separare possit quò ad totum; quia matrimonii obligatio quò ad torum difficilius solvitur quàm obligatio sponsalium. Nihilominus contrarium docent alii, nimirum sponsam fornicantem ob fornicationem sponsi resilire quoque posse, eò quòd causa, quàm habet sponsa resiliendi ob fornicationem sponsi non tollatur, per hoc, quòd sponsa quoque fornicetur; cum, quando uterque sponfus culpabilis est in sponsalium executione, utriusque permissum est resilire, neque unius culpa alterius culpa compenentur, ut tradit ipse Sanch. d. 53. num. 6. Gutt. c. 24. n. 10. adeòque idipsum quoque liceat in causa fornicationis.

4. Resp. Ad secundum: Oscula & tactus admissi à sponsa dant sponso sufficientem causam dissolvendi sponsalia; eò quòd per hoc sponsa censetur impudica, & ita vilis, ut sine nota duci non possit. Secus esse de viro, eò quòd is per hoc non reddatur ita vilis, nec probum sit feminae talem ducere, tenent cum communi; Laym. cit. n. 10. Sanch. d. 55. n. 5. Gutt. c. 31. n. 2. Pont. c. 17. n. 3. Cönninck. l. c. du. 7. n. 56. quamvis hic & Laym. id ita limitet: nisi oscula & tactus à sponso habiti sint ita frequentes, ut meritò timendum sit, quòd sponsam non sit amaturus, aut fidem non servaturus. Nihilominus hic iterum Castrop. n. 8. tenet contrarium, nimirum, quòd sive à sponso sive à sponsa admittantur oscula & tactus impudici, pars innocens habeat sufficientem causam resiliendi; eò quòd per talia oscula & tactus violetur fides data in sponsalibus, & fidem violanti non sit necessario servanda fides. Ad hæc non minus sponsum reputari impudicum, & non minor ingeratur suspicio sponsæ, se ab eo non amandam, nec sibi fidem servandam stante matrimonio, quæ sufficiunt ad sponsalium solutionem.

Quest. 63. An & qualiter per absentiam solvantur sponsalia.

Resp. Primò: Dum sponfus sponsam insciã vel non consentiente terram dimittit, & in alias partes se transfert, sponsam à lege sponsalium soluta est; tum quia sic discedens videtur renuntiare sponsalibus: tum quia sponsa non tenetur sponsum mutantem domicilium sequi. Sanch. l. 1. de sponsal. d. 52. n. 14. Pont. l. 12. c. 15. n. 1. Laym. l. 5. tr. 10. part. 1. c. 2. n. 15. Castrop. p. 23. n. 4. cum communi juxta c. de illis. h. t. idque etiam, licet sponsalia sint jurata, ut expressè habet *cit. textus*; in quo dum femina imponitur pœnitentia pro perjurio, id intelligendum, ut explicat ipse textus, quando ipsa in causa fuit absentia sponsi, matrimonium debito tempore non implendo. Laym. Castrop. *ll. cit.* Sed neque in hoc casu tenetur expectare biennium aut triennium. Sanch. d. 54. n. 6. Laym. n. 14. Pont. n. 2. Castrop. l. c. Neque licentiam sponsi aut Judicis sententiam. Sanch. Castrop. *ll. cit.* Tò enim liberum, quò utitur *cit. textus* dicendo: liberum erit mulieribus ipsi ad alia vota se transferre; quippe quæ dictio consensum & auctoritatem alterius tanquam necessariam excludit *cit. AA.* cum Gl. in c. cum plures v. liberè. de off. delegat. Bald. in c. que in ecclesiis. de const. n. 6. Porro citatus textus, ut colligitur ex illis ejus verbis: *Qui terram dimittant, ad alias partes se conferentes;*

tantum loquitur de mutantibus domicilium. Laym. n. 15. Pont. Castrop. *ll. cit.* neque enim qui negotii gerendi vel causam studendi alio se confert, terram dimittit; l. clam possidere. §. qui ad nundinas. ff. de acquir. vel amit. possess. & l. 2. de incolis. Possit tamen etiam textum illum intelligi de transferente se alio citra mutationem domicilii, cum dicatur & absentia, sic, ut de proximo sponsi reditu minime sit spes, quòd fieri potest, licet non sit in longinquo, tradunt alii; quin & si sponfus sit vagabundus, ut Barb. in *cit. c. n. 4.*

2. Resp. Secundò: Dum verò sponfus ex causa aliqua necessaria vel voluntaria discedat reverfus consentiente sponsa, tenetur illa toto tempore expectare, quò inter eos convenit. Si verò ea insciã vel dissentiente discessit, & causa discellus fuit necessaria. V. G. agritudo, mors parentum, grave aliud negotium, ex Jure Civili l. *sepe. ff. de sponsal.* sponsa expectandus erit finis negotii. Si autem causa discellus intra provinciam fuit honesta, sed voluntaria, expectandum est per biennium; l. 2. c. de spons. Si extra provinciam, per triennium, l. 2. ff. de repudiis. Has leges civiles Jure canonico non esse correctas (siquidem *cit. c. de illis.* loquitur tantum de mutante domicilium, non de reversuro) adeoque servandus (eò quòd in his, quæ Jure canonico statuta non sunt, Jus civile servandum est, si ibi decisã reperiantur, dum nihil continent contra conscientiam, aut quicquam statuunt in materia, Laicorum potestati non subiecta. c. 1. de oper. novi nuntiat. maxime cum sponsalia, quamvis ad Sacramentum ordinentur, non sint nisi contractus quidam politicus) censent Canis. in *cit. c. de illis.* Menoch. de arb. l. 2. c. 455. num. 7. Rebell. l. 4. q. 8. sect. 3. n. 2. & 3. Laym. cit. n. 14. & alii apud Sanch. *cit. d. 54. n. 5.* Dictas verò leges corrigi per Jus canonicum *cit. c. de illis.* ac ideo servandas necessario non esse, tenent Sanch. l. c. n. 6. Gutt. c. 30. n. 3. & plerimi apud illos. Sed & quidquid sit de ea correctione, eas in præsentem casum locum non habere, adeoque servandas non esse, sentiunt quoque Castrop. l. c. n. 2. Pont. l. c. c. 15. n. 4. hac ducti ratione; quòd leges istæ biennium vel triennium statuunt, non ut sponsa possit resilire; id enim statim poterat, & ad alia vota transire solo suo consensu, quò, etiam spectato Jure civili sponsalia dissolvebantur; sed ut id possit retentis arthi & donatis à sponso, quæ retinere non poterat, nisi constaret sponsum culpabilem in executione sponsalium. De cætero verò, cum Jure canonico obligatio sponsalium, ita firma sit, ut nequeat pro cujusque arbitrio dissolvi, sed veniat dissolvenda non aliter, quàm si sponfus gravem causam dissolutionis præbeat, quæ contingere potest biennio non expectato. V. G. quia sponsa tamdiu dilatis nuptiis adire potest periculum incontinentiæ, potest amittere opportunitatem paræ aut melioris connubii, decisio hæc juris civilis necessario servanda non est. Ut autem sponsa in hoc casu absentia prudenter aut etiam validè dissolvat sponsalia, certa esse debet, sponsum de proximo non rediturum. Abb. in *cit. c. de illis. in fine.* Præposit. *ibid.* n. 5. Sanch. n. 12. Gutt. n. 7. Castrop. n. 3. Et si sponfus est in loco propinquo, debet sponsum requirere, ut intra certum tempus ad matrimonium contrahendum accedat; & quòd si is justo impedimento detineatur, penes Judicem ecclesiasticum erit inspecta sponsæ qualitate, de periculo incontinentiæ aliisque circumstantiis judicare, an sit sufficiens causa dissolvendi sponsalia. Sanch. n. 11. Gutt. n. 2. & 6. Covar. in 4. decret. p. 1. c. 5. n. 7. Castrop. *cit. n. 3.*

3. Porro

3. Porro quæ dicta de absentia Sponsi à fortiore procedunt in absentia Sponsæ; tum quia Sponsus & Sponsa sunt correlativa, & disposita de uno censentur quoque disposita de alia, dum subest eadem ratio, uti est in præsentia; tum quia ex absentia Sponsæ facilius sinistra suspicio concipi solet, Castrop. num. 4. citatis Cyno & Bald. in l. 2. in fine c. de Sponsal. Alex. in c. de illis n. 16. Sanch. l. c. n. 1. Gutt. l. c. n. 1.

Quest. 64. Qualiter solvantur Sponsalia ob lapsum termini præfixi.

1. Resp. primò: Dum dies nulla designata, quâ explenda Sponsalia per celebrationem matrimonii, estque tamen à consuetudine statutum aliquod tempus, intra quod in isto loco compleri solent Sponsalia, ille Sponsorum liberabitur ab obligatione, qui intra illud tempus ea implere vult, altero sine justa causa renuente; præsumi enim non potest, Sponsum se obligasse ad diutius expectandum sine nuptiis, præsertim cum hujusmodi promissiones, ubi aliud non exprimitur, quò ad obligationem promissum implend merito censentur fieri, prout usus communis & consuetudo fert, Krimer. ad 4. decret. num. 298. Si verò Sponsus afferat impedimentum legitimum à Sponsa ignoratum priùs, quo Sponsalium executio ultra illud consuetum tempus multum differri deberet; Judex interpellandus erit, ut pro qualitate negotii & Sponsæ, præfigat illi terminum, ultra quem expectare amplius non teneatur Sponsa. Krimer l. c. Castrop. p. 24. num. 1. citato Cönnick. d. 23. dub. 6. num. 43. & 44. quæ etiam limitatio applicanda resp. seq.

2. Resp. secundò: Dum tempus certum præfixum non est, neque ab ipsis contrahentibus, neque à dicta consuetudine, Sponsalia solvi non posse ait: Castrop. l. c. nisi ob eam moram Sponsi, ex qua prudenter colligi possit, eum Sponsalibus renunciassè, aut fidem datam violare; quæ autem ea sit mora, ex qua id prudenter colligi possit, non arbitrio Sponsæ relinquendum, ne proprio amore decepta iniquè judicet, sed interpellandus denuo Judex, qui negotio prudenter examinato declaret moram esse sufficientem ad dissolvendum Sponsalia.

3. Resp. tertio: Dum certus dies exequendis Sponsalibus designatus est ita, ut ad illum usque differri possit executio, & exinde ea sollicitanda & præstanda (uti contingit in obligatione solvendi pecuniam, cui certus dies designatur, non ut si illo die facta non sit solutio, extinguatur obligatio, sed ut debitor intelligat, usque ad illum diem permitti solutionem differri, eo autem adveniente, eam exigere posse & præstari debere) eâ non præstitâ eo die non dissolvuntur Sponsalia, neque ex parte illius, qui in mora est; quia is ex iniquitate sua, dum mora est culpabilis, commodum reportare nequit, vel etiam ex impedimento suo justo alteri nolenti inferri injuriam resiliendo. Neque etiam ex parte alterius, qui non est in mora; siquidem alter, licet omitendo illo die exequi Sponsalia, sit etiam culpabilis, si tamen paratus sit brevi tempore ea implere, non est censendus culpam gravem admisisse, nec fidem violasse, quod requiritur, ut pars altera innocens deobligetur & resiliere queat, Cönnick. l. c. num. 45. concl. 3. sed pars, quæ non est in mora urgere potest apud legitimum Judicem, R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

ut alteri statuatur terminus, ultra quem, si is differat executionem, alter liberetur sua obligatione, sive, si velit, resiliere possit. Ratio hujus à priore est, quòd in tali obligatione contineantur duo, sive virtualiter duplex; sive unum vel una contrahendi absolute matrimonium, alterum sive altera contrahendi illud illa die; & consequenter, licet hæc posterior non impleatur, prior tamen, utpote absoluta & ab hac secunda independens, perseverat. Castrop. n. 2. juncto num. 4.

4. Resp. quartò: Si verò dies Sponsalibus exequendis designatus est ita, ut si eo die non fiat executio, obligatio extinguatur, imprimis ex parte illius, qui fuit in mora, non solvantur Sponsalia, sed persistit obligatio contrahendi matrimonium; vel enim mora fuit culpabilis, & tunc dolus, malitia aliave culpa ei esse non debet commodo, vel non fuit culpabilis, eò quòd justo impedimento fuerit impeditus eo die implere obligationem suam, & neque tunc adhuc liberabitur ab obligatione (etsi videri posset ea liberari, utpote quæ dictæ diei annexa fuit) quia æquum non est ob defectum suum etiam inculpabilem alteram partem private jure suo quærere. Cönnick. l. c. Sanch. d. 53. num. 7. & 8. Castrop. num. 5. qui etiam addit, talem inculpabiliter non implentem Sponsalia statuto die, teneri adhuc ad contrahendum matrimonium, non in vi Sponsalium promissionis, quæ jam cessaverit; neque in vi injuriæ alicui alteri illatæ, cum nulla fuit; sed in vi rei alienæ acceptæ & retentæ, dum nimirum retinet seipsum, qui alteri ad contrahendum matrimonium debitus erat, & traditus non erat. Sed videtur peti principium, dum in quæstione est, num talis inculpabiliter non implens Sponsalia detineat amplius rem alienam, utpote qualis non manet per dissolutionem Sponsalium & cessationem obligationis contrahendi matrimonium; dein alter, qui paratus fuit statuto tempore implere Sponsalia, alio id culpabiliter omitente, solutus est ab obligatione sua, & si vult, resiliere potest, idque etiam si Sponsalia jurata fuerint. Castrop. num. 6. cum communi juxta expressum textum c. sicut. h. t. Unde etiam si uterque fuit in mora culpabilis, uterque deobligatur & resiliere potest, Castrop. l. c. Sanch. l. c. num. 6. Cönnick. l. c. num. 49. Pont. l. 12. de Sponsal. c. 16. num. 4. An verò etiam mora inculpabilis det quoque alteri parti sufficientem causam resiliendi, in eo non conveniunt AA. negant Sanch. d. 23. num. 7. Pont. l. c. Gutt. de mat. c. 24. num. 10. eò quòd dici non debeat per eum stare, quò minus impleta obligatio, qui eam implere justè impeditus fuit, Arg. reg. jur. 66. in 6. et imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod fuerat faciendum, reg. 41. juris in 6. quodque Ingitimè impedito non currat tempus. c. quia diversitatem. de concess. præb. E contra affirmat Castrop. num. 8. citans pro se Nav. c. 22. num. 27. cas. 11. Cönnick. d. 23. du. 6. num. 47. Laym. h. f. tr. 10. part. 1. c. 2. num. 17. Rationem dat, quòd Sponsus ideo præigentibus Sponsalibus terminum, ne diutius à nuptiis abstineant, neve occasionem commodam sibi oblatam contrahendi matrimonium amittant, quam timent postea non inveniendam, æquè damno

damnosum sit, sive pars culpabiliter, sive inculpabiliter omiteat contrahere; quodque Pontifex in *cit. c. fecit*, declarando liberum ab obligatione, per quem non stat Sponsalia perfici, non meminerit, an per culpabilem an inculpabilem moram faciat, ad *reg. illam 66.* dicit illam locum habere in promissione libertatis, legatis, testamentis, institutionibus &c. in quibus jus benignè interpretatur voluntatem concedentis, ne is velit donatione privare eum, sine cujus culpa conditio requisita non ponitur; quod ad contractus onerosos extendi non debet. Ad *reg. 41.* dicit, quod loquatur de pœna contrahenda, sive ex conventionem, sive ex lege; cum hæc non afficiat eum, per quem inculpabiliter stetit non fieri, quod faciendum.

Porro ad dignoscendum (dum non constat de intentione contrahentium) num terminus adjectus ad finiendam obligationem, an verò ad finiendam potius dilationem sollicitandamque expletionem obligationis, Castrop. *omissis regulis*, quas affert Sanch. *d. 53. num. 3.* tanquam minus firmis, recurrendum aut ad motiva, ob quæ præfixus terminus, nimirum, ut si utraque pars, vel ea, quæ cupit diem adjici, mota ad hoc fuit, quia sibi expedit, vel cum hac, vel cum alia, quæ sibi offertur, contrahere matrimonium intra illud tempus, quod timeatur neglectis illis matrimonii, non inventurus postea aliud ita commodum, tunc censetur dies adjectus ad finiendam obligationem; si verò moti ad statuendum diem, ne aliqua ratione matrimonium, quod maxime cupiunt, impediatur, dies adjectus censetur solum ad sollicitandam obligationis impletionem.

Quæst. 65. An & qualiter Sponsalia dissolvantur ob superveniens impedimentum matrimoniale.

1. **R**esp. primò: Ob superveniens impedimentum tantum impediens, excepto voto religionis & castitatis Sponsalia non solvuntur etiam ex parte innocentis; cum nullum præter dictum impedire matrimonium, egerique dispensatione, sit probabilissimum. Castrop. *p. 26. n. 1.* citatis Sanch. *l. 1. d. 56. num. 3.* Cön. *d. 23. du. 5. n. 36.* contra Gutt. *de mat. c. 31. n. 2.*

2. **R**esp. secundò: Ob superveniens impedimentum dirimens. V. G. affinitatis, cognationis solvuntur Sponsalia ex parte innocentis; huic siquidem ad resiliendum sufficiens data est causa per appositionem impedimenti reddentis matrimonium impossibile; ita etiam, ut hæc ratione acquirendo jus resiliendi non teneatur admittere dispensationem à potente dispensare oblatam. Castrop. *num. 2.* Cöninck. *num. 37.* Apponentis verò impedimentum obligatio, etsi durante impedimento sit suspensa, non est sublata; sed sublato per dispensationem impedimento, tenetur stare promissis, si innocens velit; quia æquum non est, ut commodum, nimirum immunitatem, à fide præstita referat ex culpa sua. Castrop. Cöninck. *LL. cit.* Sanch. *d. 56. in fine.* Gutt. *d. 32. num. 2.*

Porro apponentem absolutè teneri procurare dispensationem altero exigente; eò quòd, cum ex justitia tenebatur contrahere matrimonium, adeo-

que ei contrahendo non ponere impedimentum, jus alterius ponendo hoc impedimentum læsum à se & alià viâ non reparabile, ex justitia teneatur reparare; idque etiam si impensæ magnæ sint faciendæ pro impetranda dispensatione, dum ex aliâ solitæ sint fieri in hujusmodi dispensationem, tenet Castrop. *num. 4.* citans Ledesm. *de mat. q. 43. caus. 3.* quos sequitur Krimer. *num. 322.* contra Filiuc. *de mat. c. 8. q. 8.* libertatem ab hac obligatione ponentem impedimentum, ubi pars altera notabile damnum non patitur, ex omissione matrimonii, item contra Sanch. Cön. Gutt. *LL. cit.* & alios, in quantum negant teneri illum ad hoc, extra casus, ubi quis fœminam spe matrimonii deflorasset, gravemque fœmæ jacturam, si nuptiæ non sequantur, ei intulit, dum dispensatio hæc sine difficultate & magnis sumptibus impetrari nequit; eò quòd obligatio contracta ex Sponsalibus urgeat solum ad adhibenda pro executione media necessaria & facilia; ad quod tamen bene responderet Castrop. neminem quidem vi Sponsalium obligationem esse ad procurandam dispensationem impedimenti dirimentis, multoque minus ad procurandam illam magnis sumptibus & via difficili; bene tamen ad hoc obligati aliquem ex iniqua & injusta impedimenti appositione, respectu cujus, & juris alterius per hoc læsi dispensatio non est medium extraordinarium, sed ordinarium per se requisitum.

Quæst. 66. An & qualiter solvantur Sponsalia ob superveniens notabilem mutationem ex parte Sponsi vel Sponsæ.

Resp. Solvuntur (intellige ex parte illæsi, ita ut is resiliere possit) ob quamlibet causam novam rationabilem & mutationem notabilem contractis Sponsalibus superveniens, dum ob eam notabiliter difficilior redditur matrimonium, sive dum ea talem inducit difficultatem, ut merito quis prudentum judicio, si ab initio exstitisset & cognita fuisset, Sponsalia non contraxisset; eò quòd promissio non obliget ultra promittentis intentionem; nemo autem præsumatur se obligate voluisse ad casum tam difficilem, ut ob eum præcognitum quivis prudens & cordatus à promissione matrimonii abstineret, Pith. *h. t. num. 65.* Laym. *l. 5. sum. tr. 10. p. 1. c. 2. num. 18.* Sanch. *l. 1. d. 62. num. 3.* Arg. *c. quemadmodum. de jurejur.* procedit id ipsum, etiam si Sponsalia jurata sint; cum juramentum afficiat seu includat omnes conditiones contractus, cui adjicitur. *l. fin. c. de numerat. pecun.* adeoque imbibat hanc tacitam conditionem; rebus in eodem statu permanentibus. Castrop. *p. 79. num. 3.* Pith. *l. c.* Sanch. *num. 4.* unde nec opus in hoc casu petere relaxationem juramenti, ut iidem. De cetero Sponsi vel Sponsæ afferenti, se non fuisse contracturum Sponsalia, si talis ab initio exstitisset, & nota sibi fuisset, in utroque foro fidem habendam esse, dum expensis circumstantiis verisimile est, revera non contracturum Sponsalia, si dicta causa ei cognita fuisset, docent Castrop. *num. 2.* Gutt. *c. 31. n. 9.* Pith. Laym. *LL. cit.* Sanch. *num. 6.* idque vel maxime, si juramento confirmarent; cum in his, quæ ad animum spectant, ut sunt

sciens

scientia, ignorantia, intentio &c. standum est cuiusque juramento, si alio modo probari nequeunt. Covar. l. 2. *resolut. c. 10. n. 1.*

Quest. 67. An igitur tales causa, si præcesserint Sponsalia, & ignorate tunc fuerint, postmodum post ea contracta cognita, pari modo dissolvant Sponsalia, ac si tunc prius cognita.

R Esp. affirmativè Sanch. l. 1. d. 63. num. 2. Gutt. c. 34. num. 2. Laym. l. c. Castrop. l. c. num. 1. Pont. l. 12. de Sponsal. c. 18. à num. 1. cum communi contra Palud. & Gabriel, siquidem respectu talis ignorantis tempore contractus Sponsalium talem causam res notabiliter mutantur seu mutari censentur, appaerente postmodum de novo vitio, censeturque illud tunc apponi, quando ei manifestatur; cum res tunc censetur fieri, quando innotescit. Arg. c. *pastoralis, de exception.* sicut è contra censetur non esse, quando non apparet. l. in lege. ff. de contrah. empr. adde, quòd in generali simpliceque obligatione non censetur, quæ cognita ab obligatione prudenter averterent. l. obligat. general. ff. de pignor. c. veniens. de iurejur. Contrarium tamen dicendum, dum talis ignorantia causa non dedit causam contrahendi, ut dum ita quis affectus fuisset, ut si cautam vel vitium illud cognovisset, tamen adhuc contracturus fuisset (quod tamen nunquam præsumendum esse ait Castrop. cit. p. 29. n. 2. nisi id ipsum quis expresserit) quia eam respectu talis prius ignorantis & postmodum scientis, nulla censetur facta in re mutatio; ita Castrop. l. c. Pont. cit. c. 18. num. 4. Sanch. d. 65. num. 2. &c. Arque ex his jam sequitur, posse aliquem resilire à Sponsalibus, etiam juratis ob fornicationem Sponsæ, ante Sponsalia commissam, quam putabat virginem, Sanch. l. 1. d. 64. num. 3. Castrop. n. 4. Pont. n. 2. Idem secundum hos AA. fieri posse ob fornicationem viduæ; cum quoque probrosum sit ducere viduam inhonestam, adeoque id cognitum ab initio retraxisset à contrahendis Sponsalibus, quin etiam idem procedere, dum quis contraxit Sponsalia cum vidua, quam putabat virginem, censent. Sanch. l. c. Gutt. c. 34. n. 4. Pont. cit. n. 2. contra Coenick. d. 23. du. 7. num. 38. èd quòd in communi estimatione vidua censetur inferioris conditionis quam virgo in ordine ad contrahendum matrimonium. E contra ob ignoratam præcedentem fornicationem Sponsi non posse resilire Sponsam, tenent Pont. l. c. Coen. n. 62. Sanch. d. 63. n. 9. Castrop. n. 9. contra Nav. c. 22. n. 27. èd quòd vir per fornicationem illam non ita sit redditus vilior in estimatione prudentum, nec Sponsa ullam incurrat notam, quòd tali nupserit. Secus tamen censent idem AA. si vir cum pluribus fornicatus fuisset, ut censetur maxime huic vitio deditus, quod ante ignorabat Sponsa; èd quòd Sponsæ probrosum sit ducere talem, & merito timendum, ne contracto matrimonio similia patret, secundum dicta supra, vel etiam si vir haberet prolem ex prioris fornicatione; cum id redderet matrimonium difficilius; tum ob alendam prolem; tum quia id solet esse causa dissidiorum. Castrop. n. 9. quod etiam extendit Coenick. cit. du. 7. concl. 5. num. 62. etiamsi proles esset legitima. Porro conficius causæ sibi sufficientis ad solvenda Spon-

R. P. Lew. Jur. Can. Tomus IV.

salia, censetur juri suo resiliendi renunciare per hoc, quòd post cognitum vitium cognosceret alteram partem; si enim ob talem copulam censentur matrimonio contracto jus divortii remittere, à fortiore per illam censentur remittere jus ad dissolvendum Sponsalia, & hæc in utroque foro, externo nimirum & conscientie. Laym. l. c. num. 20. Castrop. num. 11. Sanch. d. 66. num. 2. Pont. l. c. num. 4.

2. De cæterò contractum Sponsalium ob talem ignorantiam causæ sufficientis ad eorum dissolutionem, non reddi irritum, sed irritandum (intellige, ab ignorante seu decepto, si velit) tenent Castrop. num. 10. citatis Less. l. 2. c. 17. du. 5. num. 31. Coenick. d. 23. du. 9. à num. 72. èd quòd ignorantia hæc seu error versetur solum circa qualitatem, & non circa substantiam contractus, utpote quæ personam respicit absolute & in eam consentit absque eo, quòd consensus hic feratur in qualitates, quæ personam afficere possunt, & ei evenire, licet eo pacto & modo fiat contractus, ut si postea eveniat vel appareat aliquid, quod contractum notabiliter difficiliorem reddat, jus sit comparti resiliendi.

Quest. 68. An laborans impedimento seu vitio occulto, quod si cognoscetur, partem averteret à Sponsalibus contrahendis, possit eo tacito seu occultato contrahere Sponsalia.

R Esp. primò affirmativè, dum impedimentum tale est, ut reddat nuptias minus commodas, non tamen omnino incommodas (qualia incommoda sunt V. G. si mulier corrupta, notabiliter deformis, pauper, ignobilis, etsi putetur nobilis dives; item si sit famæ non bonæ, improbis moribus, ferotis ingenii, à quibus statuit se corrigere, hæc in matrimonio non efficiunt, etsi minus commodum reddant; cum per hoc, quòd femina sit corrupta, pauper, perditis moribus, corrigendis tamen, non impeditur socialis vita, generatio, honesta proles educatio) siquidem usu & consuetudine satis compertum est, neminem teneri tale impedimentum suum manifestare; quin &, ut Castrop. p. 30. num. 2. si impedimentum tuum cedat in diminutionem status honesti & famæ tuæ, licere non tantum illud tegere, sed & desuper interrogato dissimulare æquivocè respondendo; adeoque pars sibi imputare debet, quòd non melius inquirendo in talia decepta fuerit, quodque prout debuit, exploratum non habuerit alterum, non esse obligatum prodere talia sua impedimenta. Ira docent præter Castrop. Sanch. de matrim. l. 6. d. 27. num. 8. Pont. l. c. d. 18. num. 6. Coen. d. 23. du. 12. concl. 1. & 2. qui tamen etiam advertunt, quandoque per accidens non licere contrahere Sponsalia, multoque minus matrimonium tali impedimento non manifestato, dum nimirum prudenter timetur, matrimonio contracto defectum manifestandum, & partem ægerimè laturam, adeoque inde graves discordias orituras; èd quòd caritas, exigat, nequis commodum suum procutet cum tam gravi damno proximi. Illud quoque certum putat Castrop. n. 3. cum Coen. l. c. n. 93. non licere fingere se esse nobilem, divitem, bonæ famæ &c. ut alium inducat ad contrahendum; quia esset dotata & fraudulenta inductio.

F 2

2. Resp.

2. Resp. secundò: Quamvis idem censeant ex eadem ratione Gasp. Hurtad. l. 2. de *matrim. diff. cult.* 17. n. 62. & alii quidam, quibus favent Sanch. l. 1. d. 68. n. 7. pro exemplo adducens morbum Gallicum, & l. 6. d. 27. q. 2. loquens generaliter de impedimentis omnibus, dum impedimentum est tale, quod non tantùm reddat nuptias minùs commodas, sed positivè incommodas & damnosas; qualia V. G. sunt paralytis, lepra, morbus gallicus, aliusque contagiosus, mores perditii absque animo corrigendi, infamia ex genere vel delicto, quæ honestam familiam deturpare possit; cum hæc vel generationem impediunt, vel à sociali vita avertant & honestæ proles educationi officiant. Rectius tamen id ipsum (nisi forte pars altera eodem defectu laboraret) negat Castrop. l. c. n. 5. & quos citat Turrian. 2. d. 78. du. 2. Pont. cit. c. 18. num. 6. Cón. & c. eò quòd tali defectu laborans non sit aptus usui matrimonii, ad quem expetitur, adeoque peccet contra justitiam, non secus ac vendens ligna putrida putanti esse sana. Unde jam à fortiore sequitur, laborantem tali defectu non posse alteram partem illius insciam compellere ad contrahendum secum matrimonium. Idemque esse in casibus, in quibus tacito impedimento adhuc potest contrahere Sponsalia, eaque perficere, docet Pont. n. 7. censentque probabile Cón. & Sanch. LL. cit. eò quòd revera à parte rei, etiam dum ei cognitus non est defectus, jus habeat damnum proprium evitandi & resiliendi, & si id faciat, non committat injustitiam, saltem materialem (etsi putet se eam committere, dum incognito sibi tali defectu, adeoque ex nulla causa rationali resilit,) & consequenter compelli nequeat ad matrimonium contrahendum. Contrarium tamen tenent, sive posse in his casibus compelli alteram partem, Castrop. n. 8. Sanch. l. 1. de *Sponsal.* d. 68. num. 8. Cóninck cit. du. 12. concl. 4. & 5. eò quòd defectus talis, sive antecedens, sive subsequens Sponsalia, eorum valorem non impediunt, quo valore stante jus habet compellendi partem ad standum promissis, & ea, ne jus hoc sit inutile, teneatur obedire; & compars, posito illo defectu, jus non habeat virandi damnum & resiliendi, nisi media exceptione & defectus illius objectione; jam verò objicere illum, & propterea exigere nequit, quia eum ignorat, & pari modo Sponsalia contracta sub ea conditione: nisi quid eveniat, quod contractum hunc reddat nulliorem: non possunt solvi quomodocunque, sed solùm per illius eventus exceptionem & objectionem. Illud verò, quod in contrarium objicitur ex sententia probabili, occultè adulterum, adeoque etiam non objecto sibi adulterio, non posse à parte innocente exigere debitum, negant æquè probabiliter, & fortè probabilius. Castrop. num. 9. Sanch. cit. d. 68. num. 4. eò quòd hæc pœna non petendi debitum non incuratur ante condemnationem Judicis, & antequam à comparte clarè & ex indicis non levibus objiciatur.

Quæst. 69. Qualiter in specie dissolvantur Sponsalia ob supervenientem defectum corporis.

1. R Esp. primò: Dissolvuntur etiam jurata ex parte illæsi ob supervenientem notabilem fœditatem, c. *quemadmodum*, de *jurejur.* ubi exprimitur, qualis deformitas sufficiat, nempe si unus ex Sponsis oculos, nares, aures amittat, vel aliud his turpius ei obveniat, &

licet is textus videatur exigere utriusque oculi amissionem, utpote loquens in numero plurali, sufficere tamen amissionem uniti oculi; cum hæc censeatur sufficiens & deformitas satis gravis mutatioque rerum, affirmant Castrop. pag. 27. num. 1. Sanch. d. 27. num. 3. Pont. l. c. c. 17. num. 4. Cóninck. d. 23. du. 8. n. 66. & c. Quin etiam dum citra amissionem dictorum membrorum Sponsa tempore Sponsalium pulcherrima postmodum fieret notabiliter deformis, adhuc Sponsum posse resilire, censent Sanch. num. 4. Castrop. num. 5. Pont. num. 5. Cón. cit. num. 66. contra Covar. in 4. decret. p. 1. c. 5. num. 6. Gutt. de *mat.* c. 32. n. ult. eò quòd cum res per hoc adhuc sint notabiliter mutata, præsumi nequeat, priorem intentionem ad hunc casum extensum fuisse; quodque, dum Sponsa (idem est de Sponso, ut expressè Castrop. quavis, ut Idem major hujus debeat esse deformitas, ut det sufficientem causam resiliendi, nempe quæ horrorem causet) post Sponsalia effecta notabiliter deformior, non possit amplius placere, aut etiam notabiliter displiceat, apta non sit tollere à Sponso occasionem fornicandi, aliique infelices eventus ex tali matrimonio timeri possint prudenter; adeoque jam etiam ratio sic decidendi in cit. textu c. *quemadmodum*; hanc deformitatem comprehendat, etsi aliam non exprimat, quàm quæ oritur ex defectu membrorum; aut quæ illa major est. Porò quænam sit notabilis deformitas sufficiens ad solvendum Sponsalia, decidendum est Judicis arbitrio; neque enim quilibet defectus pulchritudinis censendus est talis, sed ille tantùm, qui quemlibet hominem prudentem ejus generis & conditionis à matrimonio absterret. Castrop. num. 5.

2. Resp. secundò: Pari modo solvuntur Sponsalia per supervenientem morbum incurabilem aut contagiosum, V. G. paralytin, epilepsiam, lepram; qui morbi, cum reddant matrimonium difficillimum, nemo præsumi potest contrahendo Sponsalia, intendisse contrahere cum tali matrimonio, Sanch. d. 57. num. 2. Gutt. c. 32. num. 3. Cóninck. cit. du. 8. num. 67. & in specie morbum Gallicum, utpote contagiosum magnum causantem horrorem esse causam sufficientem resiliendi, tradit cum Sanch. l. 1. d. 17. num. 2. Gutt. cit. num. 23. n. 3. Nav. c. 22. num. 27. Castrop. cit. p. 27. num. 3. quin & violentam hujus morbi suspicionem, etsi non plene probetur esse ad hoc causam sufficientem, tradunt Seraph. *decis.* 1113. num. 8. & 9. Riccius *decis.* 232. num. 4. Pont. l. c. apud Castrop. cit. num. 3. Item adhuc sufficit oris graveolentia, dum arte medici curari nequit: quia pro mutua cohobitatione vix suffineri potest, estque indicium cujusdam habitualis morbi interni molestissimi, juxta l. *qui clarum* §. *fin.* ff. de *adilicio edict.* ita Sanch. Pont. Gutt. Ponc. LL. cit. cum Castrop. cit. n. 3.

Quæst. 70. Per quos defectus tenentes se potius ex parte anime supervenientes solvantur Sponsalia.

R Esp. per sequentes: primò, dum quis Sponsorum ratione alicujus gravis delicti infamatur, Castrop. num. 7. Sanch. d. 57. n. 2. secundò, dum Sponsus deprehenditur deditus scortationibus, &

ebriatati

ebrietati aliive simili vitio; quia probrosum est talem ducere, & infelices exitus ex tali matrimonio timeri possunt. Castrop. *l.c. Sanch. d. 63. in fine.* Pont. *l.c. c. 17. n. 6.* Tertio, dum de novo cognoscitur Sponsi fœvitia, & morum asperitas; cum hæc etiam sit sufficiens causa ad divortium. *c. ad litteras de rest. spoliat. Castrop. l.c. Sanch. d. 58. n. 2. Gutt. c. 33. n. 1. Abb. in c. veniens. qui clerici vel vovener. n. 2.* Quarto, dum vitæ graves inimicitia inter Sponfos, solvuntur sponsalia ex utraque parte. Gutt. *n. 2. Sanch. n. 3. Castrop. n. 7.* Quinto, dum unius partis parentes obstinatè contradicunt, unde timeri possit gravis discordia inter Sponsorum parentes & consanguineos, & à fortiore inter ipsos Sponfos. Laym. *l. 5. sum. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 18. Cõn. l.c. du. 8. n. 68.* Castrop. *l.c.* qui tamen ex Sanch. *l. 1. d. 14. n. 3.* monet cautè in hac re procedendum, dum sæpe jactantur variæ minæ, terrores, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamen experientiâ teste, ubi impetus deservit, & matrimonium contractum, in nihilum recidunt, & animi facilè conciliantur.

Quæst. 71. An & qualiter ex superveniente fortunarum mutatione solvantur sponsalia.

Resp. primò: Ob defectum dotis promissæ, solvuntur ex parte alicuius sponsalia, eò quòd dotis promissio sit conditio, sub qua sponsalia celebrantur. Laym. *l.c. n. 2. Sanch. d. 59. n. 2. Menoch. de arb. l. 2. cas. 455. n. 6. Castrop. p. 28. n. 1.*

2. Resp. etiam, dum dos promissæ non est, ob supervenientem Sponsæ pauperatatem solvuntur sponsalia. Laym. *l.c. n. 18. Pont. l.c. Gutt. c. 33. n. 4. Cuchus Inst. major. tit. 10. n. 17. Sanch. l.c. n. 4.* & alii, quos citat & sequitur Castrop. *n. 3.* contra Covar. *l.c. p. 1. c. 5. n. 5. Malcard. de prob. concl. 577. n. 2.* Siquidem hæc gravis est mutatio, quæ, si à principio fuisset, quemlibet prudentem à matrimonio avertisset; cum in promissione matrimonii maximè attendatur patrimonium contrahentis, ut onera matrimonii sustentari possint. Unde jam etiam deducitur, timorem justum, & probabilem exhereditationis esse causam sufficientem dissolvendi sponsalia, Pont. *n. 8. Seraph. decif. 1258. n. 1. Castrop. l.c. n. 4.*

3. Resp. terriò: Si uterque Sponsorum in paupertatem deveniat, utrique dari causam sufficientem dissolvendi sponsalia; cum apti non sint ad onera matrimonii sustinenda, neque in hoc casu sit compensatio locus. Pont. *Castrop. l. cit. citato Reb. l. 4. de oblig. Inst. q. 8. f. 8. n. 70.*

4. Resp. quartò: Si post sponsalia uni Sponsorum obveniant magnæ divitiæ, quas ab initio non cogitavit, altero in suo statu permanente, per hoc non solvuntur sponsalia; cum altera pars per hoc facta non sit deterior; neque obstat, quòd executio Sponsalium illi factò ditiori sit facta durior ex eo, quòd impediatur ab aliis Sponsalibus ditioribus contrahendis; siquidem quòd hac ratione executio sit facta durior, est per accidens, & sanè aliàs, quoties sponsalia offeruntur, minus ditiora solvi possent.

Quæst. 72. An & qualiter sponsalia dissolvenda auctoritate Judicis.

Resp. primò: Stante causâ certâ de Jure (qualis dicitur, dum causa in jure expressa) & de factò (qualis est, dum certum est, causam, quæ allegatur, adesse) solvendi sponsalia, nulla requiritur Judicis auctoritas; cum id nullibi caveatur, & dissolvens utatur jure suo certo. Sanch. *l.c. d. 69. n. 3. Gutt. c. 35. n. 4. Sylv. v. sponsalia. q. 11. Pont.*

l.c. c. 18. in fine Reb. l.c. l. 4. q. 8. f. 9. Castrop. p. 31. n. 1. Secus est, ubi non habetur saltem certitudo moralis, quæ ex fama, testibus, experientiâ habetur, apraque est virum prudentem movere ad judicium, ne dum causa est dubia de jure vel facto, alter privetur autoritate privata jure suo certo quæsito in re gravi, adeoque ei fiat injuria. Castrop. *l.c. Sanch. n. 8. Gutt. n. 7.* Siquidem quoties est probabile seu prudens judicium; & periculum committendi in alterum injustitiam, jus certum alteri licet tolli non potest, nisi in oppositum sit fundamentum prævalens contra certam ejus possessionem.

2. Resp. Per accidens tamen quandoque, ratione visitandi scandali faciendâ est dicta dissolutio auctoritate Judicis. Sylv. Pont. *Reb. l. cit. Gutt. n. 4. Sanch. n. 3. Castrop. n. 1. & 2.* dum nimirum sponsalia sunt publica, causa verò de jure & facto certa est oculata, intellige, ita ut à majore parte vicinæ ignoretur. Quamvis etiam in aliquibus dicentibus prudenter statutum universaliter, ut sponsalia publica non nisi interpellato Judice solvantur; tum ut causa dissolutionis accuratius investigetur; tum ut omnis suspicio mali removeatur. Quam consuetudinem dicit Castrop. teste Laym. *in c. 2. h. t. approbati à S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. a. 3.*

Quæst. 73. Quid igitur faciendum, ubi sponsalia publica, & causa certa est secreta; quæ sine diffamatione partis propalari non potest.

Resp. Monere debes partem, & comminari publicationem defectus, eaque non acquiescente, potest defectum occultum deferre ad Judicem; cum delatio illa (intellige, etiam cum facta infamatione partis alterius in judicio) sit juris tui defensio. Castrop. *n. 4. Laym. l.c. p. 2. n. 12. Pont. l.c. n. 8. Sanch. l. 1. d. 70. n. 2.* Quòd si etiam defectus, v. g. crimen ita occultum est, ut nemini alteri notum sit, vel esto, alteri sit notum, is tamen nolit testari (ad quòd tenetur; ut jus, quod habes resiliendi, obtineas. Sanch. Castrop. *l. cit. Cõnink. d. 23. du. 11. nu. 93.*) Jaceo que in judicio probari nequit, potius propriâ auctoritate dissolvere potes sponsalia publica (intellige, etiam non attento periculo scandali, quòd fortè per accidens inde eventurum timeretur) quia jam cessat obligatio interpellandi Judicem; cum sit frustranea ob defectum probationis, quia & tibi perniciosa esse posset, dum ob defectum probationis cogi posses stare sponsalibus, quibus non teneris. Laym. *l.c. c. 2. n. 12. Sanch. l.c. n. 7. Castrop. l.c.* Ac demum, si à Judice in hoc casu compellaris ad standum sponsalibus; cum hæc compulsio in re sit justa, falsæque præsumptioni innitatur in foro conscientia te obligatum non esse parere, sed mediis omnibus te subterfugere posse mandatum, ait Castrop. *Porrò in causa dissolutionis sponsalium Judicem esse ecclesiasticum ordinarium, vel delegatum, non tamen Parochum, utpote qui in foro externo jurisdictionem non habet, ait Castrop. n. 4. in fine. cum Sanch. l.c. n. 10. Gutt. c. 35. in fine.*

Quæst. 74. Qualis probatio requiratur, ut Judex Ecclesiasticus dissolutionem sponsalium concedat, ubi nimirum ejus auctoritas ad hanc dissolutionem requiritur.

Resp. primò: Dum uterque contrahentium testatur adesse causam dissolvendi sponsalia, re-
 cè, & facilè sine magna inquisitione ulteriore Judex pronunciare poterit pro dissolutione, eò quòd
 licet

licet causa sit ficta, hoc tamen facto contrahentes satis aperte consentiunt in dictam dissolutionem, Sanch. *L. 1. d. 72. n. 2.* Castrop. *p. 32. n. 2.* Menoch. *de arb. l. 2. cap. 103. n. 2.* Gutt. *c. 36. n. 18.* Idem sentiunt iidem AA. dum dictam causam adesse testarentur unus contrahentium, qui matrimonium contrahere cupit; eò quòd is ferendo hoc testimonium accuset celebrari matrimonium, quò reculatione juncta cum alterius, nimirum non optantis, aut non multum cupientis celebrari matrimonium dissenso, utraque pars mutuo consensu concurrat ad dissolvenda sponsalia. Contrarium verò est, ut iidem AA. dum is, qui renuit celebrare matrimonium, testaretur adesse impedimentum, utpote cui credendum non est; cum ejus confessio cedat in ejus favorem, & in alterius præjudicium.

2. Resp. secundò: Dum causa impediens matrimonium probanda est testi inuicem alterius, sufficit unus testis juratus, deponens, se cerò impedimentum scire, etsi criminofus sit, suamque turpitudinem alleget, nec citatus fuerit, sed à parte productus, vel etiam ex generali mandato Patochi de revelando impedimento coactus, nec publicè, & parte citata testimonium ferat, sed etiam & absque nominis publicatione, nisi fortè sponsalia essent jurata; quia tunc ob firmiorem juramenti obligationem exactius testimonium requiritur, ac proinde nomen testis coram partibus publicandum, Castrop. *l. c. n. 3.* dicens hæc omnia colligi ex *c. super eo. n. 12. de testibus. c. præterea. n. 2. h. t.* Mascard. *de probat. concl. 1035. n. 3.* Sanch. *L. 1. d. 71. n. 2.* Gutt. *c. 63. n. 2.* Cur autem in hoc casu jus contentum sit minore probatione, ratio est, quòd agatur de impediendo peccato, quòd Sponsi impediti incurterent contrahendo. Hoc non obstat, quòd ad matrimonium dissolvendum seu declarandum nullum duo testes omni exceptione majores requirantur; quia etsi tunc quoque agatur de peccato vitando, quòd tales committunt perseverando in tali matrimonio, agatur tamen etiam præterea de jure quaesito tollendo & solvendo vinculo, quòd aliàs indissolubile est, Castrop. *cit. n. 3.* quòd tamen etiam requiratur dictum unum testem debere esse juratum, ratio est, quia etsi agatur de peccato vitando, agatur tamen etiam de præjudicio tertii, juxta *c. tua. de cohabit. clericor. Sanch. l. c. n. 10.* Castrop. *n. 4.* Gutt. *l. c. n. 8.* Quòd requiratur, ut deponat ex certa scientia, ita ut non sufficiat testimonium illius de auditu, ratio est, quòd testimonium illius non esset firmius eo, à quo audivit impedimentum, qui tamen de hoc non præstitit juramentum, Sanch. Castrop. *ll. cit.* Gutt. *n. 9.* quòd ipsum tamen patitur exceptionem; nimirum quòd tale testimonium de auditu faciat plenam etiam probationem in hoc casu, si deponat de audita consanguinitate vel affinitate à duobus suis majoribus, aperte distinguens inter gradus ab utraque parte; cum ea distincta graduum computatio æquivalet certæ depositioni secundum Covar. *in 4. decret. p. 2. c. 78. n. 21.* Mascard. *l. c. n. 20.* Gutt. *n. 10.* Castrop. *l. c.* qui postremus etiam addit, quòd debeat testis ille esse persona honesta, non verò vilis, quæ nequidem ad denunciandum admittitur, nisi factum ita sit clandestinum, ut aliter probari nequeat. Arg. *c. præterea. de testibus.* Cui testimonio quantum tribuendum sit, Judici arbitrandum relinquatur Sanch. *l. c. n. 12.* Menoch. *de arb. l. 2. cas. 90.*

3. Resp. tertio: Dum sponsalia sunt jurata, adhuc sufficit unus testis integer de causa impeditiva matrimonii deponens, Castrop. *n. 6.* citatis Co-

var. *ubi ante. n. 22.* Sanch. *l. c.* Gutt. *n. 7.* contra Gl. *in c. super eo. de consang. & aff. v. fame.* Palud. *in 4. d. 27. q. 1. a. 3. cas. 9. n. 27.* Ratio est, quia probatio famæ de impedimento sufficiens est ad dissolvenda sponsalia jurata, ut deciditur in *cit. c. super eo.* testis autem unus integer æquè ac efficacius probat, quàm fama, Mascard. *l. c. concl. 753.* Sanch. *l. 2. de matr. d. 45. n. 27.* cum communi, ut Castrop. *n. 6.* Ad hæc *cit. c. super eo.* expressè dicatur, unius testimonium sufficere ad solvenda sponsalia, absque eo, quòd decisio restringatur ad sponsalia jurata. Neque obstat *c. præterea. n. 2. h. t.* cum ibi relatus testis non deposuit, sed solum denunciavit impedimentum, adeoque non necessarium, quòd insuper requirebatur, impedimenti probatio. Neque in hoc casu agatur insuper de impedienda juramenti observatione. Nam de ea non agitur, uti nec de impediendo alterius jure; cum stante probatione impedimenti, non sit, seu cesset obligatio juramenti, uti & jus quaesitum Sponsorum.

4. Resp. quarto: Sufficit quoque ad solvenda sponsalia, etiam jurata, fama à fide dignis orta. Sanch. *l. c. n. 14.* Gutt. *n. 13.* Castrop. *n. 7.* Ut autem fama probet, debet esse allegata, & probata. Castrop. qui etiam contra Sanch. ait, non sufficere impedimentum notorium esse, nisi hoc ipsum notorium probetur; cum aliàs, ut Gutt. *l. c. n. 14.* Judex sententiam ferret ex notitia privata, & non publica. Quin & testes deponentes de fama debent esse jurati; cum testis non jurato in præjudicium tertii non debeat credi. Castrop. Gutt. *ll. cit.* ac denique fama non debet esse infirmata aliis clarioribus probationibus. Gutt. *n. 15.* Mascard. *cit. concl. 1035. n. 14.* Castrop. *l. c.* juxta *c. cum in tua. h. t.* qualiter juxta eundem textum infirmaretur juramento consanguineorum. Abb. Alex. *ibidem.* Sanch. *n. 17.* inò & contrahentium juramentum, se non esse consanguineos, relinquendo Judici arbitrio, quantum huic juramento tribuendum. Sanch. Gutt. Castrop. *ll. cit.* Mascard. *n. 16.* De cætero famæ, quæ est opinio majoris partis viciniae, in qua ad minimum habitant decem, conceditur hæc potestas, non verò rumor, qui est opinio minoris partis seu pauciorum, Sanch. *n. 18.* Gutt. *n. 6.* Castrop. *cit. n. 7.*

5. Resp. quintò ad probandam causam, vi cuius non impeditur matrimonium, sed solum conceditur alteri parti jus resiliendi, requiruntur duo testes; eò quòd jam non agatur de peccato vitando, sed de præjudicio tertii, uti & in aliis causis, juxta *L. ut juris jur. c. de testib. c. licet ex quadam. c. vendens. c. in omni negotio. de testib.* requiruntur duo testes. Sanch. *L. 1. d. 7. n. 7.* Gutt. *l. c. n. 17.* Castrop. *n. 8.* Laym. *l. c. c. 2. n. 12.* qui tamen frustra addit hanc limitationem: nisi timerentur infelices exitus & scandala ex tali matrimonio; quia stante eo timore sponsalia dissolvi possunt, nullà alià causâ comprobata. Castrop.

Quæst. 75. An & qualiter sponsalia puerum dissolvantur mutuo consensu.

1. Resp. ad primum affirmativè, *c. 2. h. t.* siquidem res omnis (intellige, quæ solubilis est, excipitur enim inter cætera matrimonii contractus obligationem Sacramenti indissolubilis) per quas causas nascitur, per eas dissolvi potest. *c. 1. de reg. jur. & c. omnis res. 27. q. 2.* & nihil tamen naturale est, quòd eo genere quidquid dissolvi, quo colligatū est, *l. nihil ff. de reg. jur.*

& obli-

& obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur. §. *ult. Inst. quib. mod. oblig. toll.* Extenditurque hoc ipsum ad sponsalia juramento firmata; quia juramentum promissorium appositum contractui tanquam accessorium sequitur ejus naturam & conditiones. *c. quemadmodum. de jurejur.* unde sublata per mutuum consensum obligatio ortâ ex contractu Sponsalium, tollitur etiam ea, quæ est ex juramento, & priori innixa erat, utpote ejus confirmatoria. Cùmque obligatio ex contractu promissoris hanc imbitam habeat conditionem; nisi ea remissa fuerit; etiam juramentum talis contractus confirmatorium eam imbit; consequenter ab eo, in cujus favorem factum, remitti potest. Quin etiam juramentum præstitum est in honorem DEI, ita tamen, ut tota res cedat in utilitatem partis, v.g. si ex pietate juraveris, te ducturum in uxorem Titiam scæminam pauperem, potest obligationem inde contractam scæmina illa remittere; quia non aliter promissum matrimonium, quam si ei placuerit matrimonium, unde nec Deus juramentum illi adjectum acceptavit. Ac ita illa prius acceptante promissum, & dein matrimonium respuente, libereris. Ita Castrop. p. 17. n. 4. Sanch. l. 1. d. 52. à n. 7. Pont. l. c. 9. n. 2. Gutt. c. 24. n. 1. Pih. b. 1. n. 40. Neque his opponas, c. 2. b. t. ubi dicitur, eos, qui de matrimonio contrahendo fidem dederunt, admonendos esse, ut præstitam fidem servent, si autem se invicem admittere noluerint, ne fortè inde deterius contingat, esse in patientia tolerandum &c. Si autem dissolutio patienter toleranda, jure ipso fieri nequit, & si nullam habent obligationem persistendi in sponsalibus, non tunc monendi, ut persistant. Nam melior est infelicitas *cit. cap.* quem affert Castrop. n. 3. Pih. n. 42. nimirum Sponfos monendos esse, ut fidem servent, dum non habent causam rationabilem resiliendi; cùm resiliencia illa sit levitas quædam, inconstantia & occasio obloquiorum, dum homines vulgò putant, Sponfos resiliencia violare sibi mutuo datam fidem, vel etiam juramentum. Quòd si noluerint, tolerandam esse dissolutionem, mutuo eorum consensu factam, non tanquam in se malam, sed ut minus convenientem propter dictam notam inconstantia. Duplici enim modo aliqua à jure tolerari dicuntur. Primò permittendo aliquid (non positivè & approbativè, sed tolerantivè, & negativè non inhibendo) quod in se malum est, ad vitandum majus malum, v.g. lupanaria ad vitanda adulteria & incestus. Secundò permittendo aliquid, vel etiam approbando tanquam licitum, quod in se malum non est, est tamen minus conveniens, ad majus inconveniens, aut etiam malum vitandum.

2. Resp. ad secundum: Debet consensus ille in dissolutionem sponsalium, seu remissio obliga-

tionis notificari alteri parti, & ab illa acceptari; siquidem remissio hæc non liberat remittentem ab obligatione, quo usque ea remissio alteri parti grata non est. Et quamvis uno resiliente, pars altera fiat libera ab obligatione sua, si velit, si tamen nolit, sed velit persistere in sponsalibus, pars resiliens non deobligatur. Sanch. l. c. n. 4. Pont. l. c. n. 1. Castrop. n. 2. Pih. n. 41. Item debet ista remissio obligationis utrimque fieri spontè, & non coactè; si enim altera pars non liberè, sed minis, terroribus, vel nimia importunitate alterius ducta, & quasi coacta ab altera parte consentit in dissolutionem, pars inducens seu adigens ad hoc in conscientia manet obligata, Sanch. n. 3. Pih. l. c. de cætero etsi peccent saltem venialiter, dum utrimque liberè solvunt sponsalia sine justa causa, hæc tamen rarè deesse solet; estque etiam sufficiens, quòd utrimque defervescat calor ille amoris & affectus, quo primitus sponsalia contraxerant, placente fortè etiam magis alio, vel alia. Et hæc de dissolutione sponsalium contractorum inter puberes; qualiter enim dissolvantur mutuo consensu sponsalia contracta inter impuberes, dicitur commodius *Titul. seq.*

Quæst. 76. An pars justè resiliens à sponsalibus ob ingressum religionis, vel aliud impedimentum inculpabile teneatur compari solvere expensas, si quas fecit in parandis nuptiis.

Resp. Probabiliter id affirmant, Gutt. de matrim. c. 78. n. 3. Henriq. l. 12. c. 10. *in fine.* Laym. l. c. n. 9. eò quòd contrahentes videantur se tacitè obligare ad servandos se indemnes, casu quo absque culpa sponsalia solvantur. Arg. l. pecuniam ff. de condit. culpa datâ. Ubi dans alicui pecuniam, ut eat Capuam, altero nondum profecto pœnitere potest, ita tamen, ut profecturo solvat expensas factas in parando itinere; eò quòd æquum non sit, ut is patiatur damnum, cùm nullum ex solutione contractus commodum reportaverit. Negant è contra æquè probabiliter, si non probabilius, Sanch. l. c. l. 5. d. 5. n. 3. Castrop. p. 33. n. 2. eò quòd id nullo jure cautum sit. Citata enim *Leg.* dans pecuniam profecturo, ideo tenetur cum servare indemnem, quia ipse pœnitere potest, non autem profecturus; & est inæqualis conditio, dum impensæ supponuntur factæ, non in favorem profecturi, sed dantis pecuniam; in sponsalibus autem uterque justè resiliere potest posito impedimento, adeoque est æqualis utriusque conditio. Ex natura etiam contractus non inferatur necessariò hæc obligatio; cùm fieri possit absque eo, quòd unus alteri obligetur ad dandas impensas; imò, ut ait Castrop. sic fieri videtur, dum aliud non exprimitur, & jus liberè resiliendi cuilibet est concessum.

C A P U T VII.

De matrimonii essentia, & essentialibus.

Quæst. 77. Matrimonium unde dictum, & quid sit?

Resp. ad primum: Matrimonium sic dictum, quia scæmina nubit, ut mater efficiatur. S. August. l. 19. *contra Faustum.* Nomen potius traxit à matre, quam à patre; quia prolis ad quam matrimonium dirigitur, mater certa parens, cùm pater sæpe sit in-

certus. Item quia scæmina gravius in eo onus sustinet, utpote prolem in utero, & extra illum suâ substantiâ alens, Castrop. de sponsal. d. 2. p. 1. n. 1.

2. Resp. ad secundum: Matrimonium sumptum quasi causaliter est actualis contractus, in quo personæ legitimæ consensu verbis vel signis expresso se mutuo obligant ad perpetuam vitæ societatem, & generationis usum. Pih. b. 1. n. 67. vel ut Castrop. n. 2. quo

quo se invicem sibi mutuam in corpora potestatem concedunt ad usum matrimonii. Matrimonium vero sumptum formaliter pro vinculo ipso permanente (cujus causa efficiens est dictus contractus) seu per modum status perdurantis post dictum consensum seu contractum, definiti communiter lolet juxta *L. 1. ff. de ritu nupt. & cap. illud. de præsump. maris, & fœminæ* (intellige, quæ sunt personæ legitimæ nullo impedimento ligatæ) conjunctis individuum vitæ societatem retinens. Sanch. *l. 2. de matr. d. 1. num. 1. Pont. l. 1. de matr. c. 2.* Jam verò, cum contractus ille seu matrimonium causaliter (in fieri, non in facto esse, ut dicitur paulò post) elevatum sit à Christo ad rationem Sacramenti, quæ tale sic rectè definitur: Contractus viri ac fœminæ legitimus, quò mutuo traditur potestas in corpora, gratiæ habitualis collativus. Tolet. *L. 7. sum. c. 5. & ex eo Pont. l. c. nu. 10. Castrop. l. c. n. 2.*

Quæst. 78. Num consensus in copulam carnalem sit de essentia matrimonii.

R Esp. Consensus formalis ac directus in ipsam copulam non est de essentia matrimonii; sed solum consensus directus in potestatem, seu jus habendi, seu obtinendi copulam, seu utendi corpore alterius, ita ut consensus matrimonialis expressè, formaliter ac directè pro objecto habeat non ipsam copulam, sed solum implicitè, remotè, ac virtualiter, seu in radice & causa, quatenus fertur directè in dictam potestatem & traditionem mutuam corporum. Sanch. *l. c. d. 28. n. 3. & 4. Pirh. l. c. n. 69.* Unde jam sicut consensus ille in dictam traditionem & potestatem, ita & matrimonium subsistere potest cum intentione non consentiendi expressè in copulam, non tamen cum expressa exclusionem copulæ; ut si mulier diceret viro: consentio in te, ita tamen, ut me carnaliter non cognoscas; Foret enim matrimonium hac ratione invalidum; cum talis conditio adjecta non tantum repugnet generationi & copulæ, sed etiam potestati ad copulam, ut docet D. Thom. *in 3. p. in supplement. q. 48. a. 1. ad 3.* Pirh. *l. c.* citans Tanner. *d. 8. q. 3. du. 2. n. 12.* Atque ex hoc etiam patet qualiter B. Virgo adstricta voto castitatis, eo illaso, & non lædendo contrahere potuerit cum D. Josepho verum matrimonium, nempe tradendo illi corpus suum ad usum, & contentiando in dictam potestatem, non tamen consentiando in actum secundum, seu usum corporis sui, & potestatem illius. Poteratque Virgo Sanctissima etiam vi contractus matrimonialis cum Josepho initi obligata ad reddendum debitum, si ille hoc petivisset; quia revelante Deo secunda, & certa erat, illum nunquam illud petiturum, aut usurum dicta potestate. Castrop. *v. 3. Pirh. l. c. Laym. l. 5. sum. tr. 10. p. 2. c. 1. n. 3.* Patet idem ex his, qualiter verè conjuges durante matrimonio consummato (nempe de mutuo consensu in religione approbata) non possint petere & credere sibi debitum; quia verè retinent potestatem illam, sed impeditam ob votum castitatis, sicut, si à superiore ob causam illis prohibita esset copula. Unde, si contra votum vel talem prohibitionem haberent copulam, non peccarent adhuc contra justitiam, cum utantur re propria. Ita Castrop. *l. c. n. 3.*

Quæst. 79. Quotuplex sit matrimonium.

R Esp. Est triplex, legitimum, quod legitimo consensu seu secundum leges inter personas ha-

biles contractum. Quale fuit tam in lege naturæ, quam gratiæ. Estque modò adhuc inter infideles, quod solvi potest favore fidei, uno ad fidem converso, altero remanente. Ratum tantum, quod inter fideles contractum habet rationem Sacramenti, non secutià copulæ carnali. *c. quanto. de divorzio.* Quod solvi potest professione religiosa consummatum, quod accedente copulæ carnali est perfectum & completum, adeoque nullatenus dissolubile. Sanch. *l. 2. de matrim. d. 1. n. 9. Castrop. n. 4.* dicens, hinc quoque triplicem oriri significationem matrimonii, nimirum quatenus est legitimum, significat conjunctionem Christi cum anima per gratiam, Quatenus est ratum, conjunctionem Christi cum tota Ecclesia per Baptismum. Quatenus consummatum, unionem hypostaticam Christi cum humanitate, sed de his infra accuratius, ubi de solubilitate & indissolubilitate matrimonii.

Quæst. 80. An & qualiter institutum matrimonium.

1. **R** Esp. primò: In ratione contractus & in officium naturæ probabilius est, institutum esse à Deo, dum Adamus & Eva creati; eù quod eo ipso illis fuerit concessum, posse matrimonium contrahere, & sibi invicem tradere potestatem in usum corporis. Pont. *l. 1. c. 3. an. 3. Valq. de matr. d. 1. c. 3. Castrop. l. c. n. 5.* contraxisse verò videntur primi parentes actu matrimonium ante peccatum in officium naturæ; hoc est, in generis humani propagationem, quod post peccatum fuit quoque in remedium concupiscentiæ; dum Adamus dixit Evæ: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea;* Eva è contra, ut credibile est, alia similia verba proferente.

2. **R** Esp. secundo: In ratione Sacramenti fuisse institutum à Christo, certum est, prout definitur à Concil. Florent. in decreto fidei post ult. Sess. à Trid. Sess. 24. *c. ult. D. Thom. 2. 2. q. 100. n. 2. Sanch. l. 2. d. 4. Valq. c. 4. Pont. l. 1. c. 5. per tot. & alii plures apud Castrop. n. 6.* quandonam autem sit institutum, non satis est certum. Sanch. *l. c. Laym. l. c. c. 2. n. 1. Pont. l. c. c. 6.* quos sequitur Castrop. *n. 6.* putant illud fuisse institutum, *Matth. 19.* ubi ejus inseparabilitatem præcepit, & commendavit Christus, juxta quod insinuat Trident. *Joan. 2.* verò in nuptiis Canæ Galilææ non tam à Christo institutum, quam instituendum approbarum fuisse. Alii verò ut Tanner. putant, institutum fuisse intra 40. dies, quibus Christus post Resurrectionem suam conversatus cum Apostolis.

Quæst. 81. An matrimonium sit verum Sacramentum.

1. **R** Esp. primò: Matrimonium in lege naturæ & Mosaicæ non fuit propriè Sacramentum; quia non habuit virtutem sanctificandi conjuges, sed merè contractus naturalis, et si dici possit habuisse rationem aliquam Sacramenti improprietate, quatenus aliquo modo figurabat conjunctionem DEI cum homine per gratiam, vel etiam Christi cum Ecclesia, Sanch. *l. 2. d. 7. n. 2. Castrop. p. 2. nu. 1.* cum communi.

2. **R** Esp. secundo: Matrimonium infidelium seu non baptizatorum non est Sacramentum; cum Baptismus ex institutione Christi sit janua omnium Sacramentorum, sine quo nullum Sacramentum subsistit, ut Trident. in decret. de Baptismo. His non obstante, quod in *c. veniens. de Clerico non baptiz.* dica-

dicatur, posse non baptizatum suscipere Eucharistiam & matrimonium; cum id intelligendum de matrimonio in ratione contractus, & de susceptione materiali Eucharistiae, ut Castrop. l. c. vel dicendum cum Rebell. l. 2. de mat. q. 3. n. 16. Pont. l. 1. c. 6. n. 5. Papam ibi locutum non definitivè, sed dubitativè.

3. Resp. tertio: Matrimonium contractum inter fideles seu baptizatos est verum Sacramentum novæ legis, est de fide definitum in Trident. sess. 24. can. 1. contra Lutheranos aliosque sectarios; cum celebratum cum legitima intentione faciendi, quod facit Ecclesia, est signum praeacticum ex institutione Christi gratiæ sanctificantis collata viro & mulieri debite illud suscipienti; quin & intuitu illius conferantur gratiæ Sacramentales seu actuales sane vel maximè necessariæ ad onera matrimonii, ferendæ; cum enim matrimonium sit vinculum perpetuum indissolubile, etiam cum conjuge sterili & morbida &c. foret jugum intolerabile, nisi Christus promissionem gratiæ annexisset ad patienter ferendum hoc onus, & concupiscentiæ ardorem sedandum, & proles pie educandas. Porro in eo, num matrimonium fidelium, non tantum in fieri, sed & in facto esse sit Sacramentum, AA. non conveniunt; affirmant Bellarm. l. 1. de mat. c. 6. Sanch. l. 2. d. 5. n. 7. Laym. l. 5. rr. 10. p. 2. c. 2. n. 4. Rebell. l. c. q. 4. moti præcipuè exemplo Eucharistiae. Negant Castrop. l. c. n. 3. Cönnick. d. 24. du. 2. n. 11. in facto esse verum Sacramentum, eò quòd Sacramentum sit signum praeacticum gratiæ, hoc est, suo usu ex opere operato sanctificans suscipientem; conjuges autem usu matrimonii non sanctificantur ex opere operato, disparitas verò quòd ad Sacramentum Eucharistiae sit, quòd hæc in fieri, seu dum fit, non sit Sacramentum, sed sacrificium, facta verò sit Sacramentum; quia usu suo sanctificat suscipientem. De cætero nihil ad rem facit, quòd in fieri non significet unionem Christi cum Ecclesia; cum ea significatio non probeat esse Sacramentum, quatenus illud est signum praeacticum gratiæ; sed solum esse Sacramentum, sumpto Sacramento latè pro signo rei factæ divinitus instituto.

Quæst. 82. An dum uterque conjux infidelis convenitur suscepto Baptismo, matrimonium illorum efficiatur Sacramentum.

Resp. affirmari communiùs cum Sanch. l. 2. d. 9. num. 5. Rebell. l. 2. q. 6. concl. 1. Bellarm. l. 1. c. 51. in fine. Gutt. de mat. c. 42. n. 5. Laym. l. c. p. 2. c. 3. n. 6. Pirh. l. c. n. 71. E quibus Sanch. Gutt. Pirh. censent, eo ipso, quòd infideles baptizentur, effici Sacramentum sine alio novo consensu, intellige, expresso; de cætero namque tenent, ut expressè Pirh. eo ipso, quòd intendant baptizari, virtualiter & implicite illos consentire in matrimonium præcedens, ut hoc sit indissolubile, adeoque Sacramentum, esseque hunc consensum Baptismo veluti signo externo expressum novam materiam & formam hujus Sacramenti. Alii eorum, ut Bellarm. Laym. censent, requiri novum consensum explicitum antiqui consensu approbativum, signis externis aut maritali copula expressum. E contra Castrop. l. c. num. 14. Valq. Tom. 2. in 3. p. d. 138. c. 5. Pont. l. 1. c. 9. n. 8. Cönnick. d. 24. du. 2. concl. 7. Pont. l. 1. c. 9. n. 8. censent tale matrimonium nunquam effici Sacramentum; eò quòd tales in contractu prius vinculo matrimonii perseverent, neque illud augeatur aut diminuat, sive de novo consentiant sive non, R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

vel etiam dissentiant; adeoque ex novo illo consensu (intellige, sive expresso, sive virtuali) non potest effici, matrimonium, & consequenter nec Sacramentum. Item quòd Sacramentum matrimonii tunc est, quando baptizati sibi mutuo tradunt corpora ad usum conjugalem, quòd non fit, dum infideles facti fideles renovant consensum priorem; jam enim corpora sunt tradita; adeoque per talem consensum approbativum prioris consensu seu traditionis corporum ea non traduntur. Quòd autem suscepto Baptismo vinculum illud jam prius contractum fiat ratum & indissolubile, non est ex eo, quòd à baptizatis denuo approbetur; sed ex eo, quòd Baptismo suscepto, cesset causa, ob quam alias dissolvi poterat, nimirum altero eorum renuente converti & baptizari. Ad hæc fideles reddunt matrimonium contractum omnino indissolubile per consummationem illius, & repræsentativum unionis verbi cum natura humana, absque eo quòd Sacramentum de novo conficiant & suscipiant.

Quæst. 83. An fidelis baptizatus contraheus ex dispensatione Papæ cum infideli suscipiat Sacramentum.

Resp. negativè: Sanch. l. 2. d. 8. n. 2. Valq. de mat. d. 2. c. 4. n. 10. Castrop. num. 11. Gutt. c. 42. n. 4. Pont. l. 1. c. 6. n. 7. contra Sorum in 4. dist. 26. q. 2. a. 3. in fine. Less. hom. 73. de Sacram. Ratio est, quia Sacramentum matrimonii unicum est & indivisibile, sicut est unicus est indivisibilis contractus afficiens virum & feminam, sed Sacramentum non afficit infidelem; ergo neque alteram partem fidelem afficere potest. Verum quidem est, quòd in hoc casu fidelis verè contrahat, sed contractus ille non est simpliciter fidelis, cum etiam sit contractus infidelis; Christus autem illum contractum elevavit ad rationem Sacramenti, quia est contractus simpliciter fidelis, Apostolus verò I. ad Cor. 5. dicens; virum infidelem sanctificatum esse per mulierem fidelem, per hoc indicare non voluit, quòd matrimonium illud mulieris sit Sacramentum, sed quòd occasione talis matrimonii speretur virum convertendum & sanctificandum.

Quæst. 84. An duo fideles contrahere possint matrimonium absque eo, quòd Sacramentum suscipiant.

Resp. affirmant hoc ipsum satis probabiliter Rebell. de oblig. just. p. 2. l. 2. q. 5. concl. 1. Valq. Tom. 2. in 3. p. d. 138. c. 5. Pont. l. 1. c. 9. n. 3. Gasp. Hurt. de mat. d. 3. diff. 19. Fundamentum eorum est, quòd neque ex scriptura, neque ex Conciliis, neque ex Patribus constat, Christum ita conjunxisse rationem Sacramenti contractui matrimoniali fidelium, ut hi nullatenus possint contractum hunc separate à Sacramento, cum licet nequeat esse Sacramentum matrimonii, quin sit legitimus contractus, quia est ejus materia & forma, contractui tamen matrimoniali ea ratio Sacramenti non est essentialis, sicut licet Sacramento Baptismi essentialis sit ablutio & prolatio verborum, non tamen illi abluitioni & prolationi essentialis sit ratio Sacramenti Baptismi, quippe ex defectu intentionis ab iis separabilis. Ad hæc quòd contractus matrimonii censei debeat validus, quoad nullibi in jure irritatur; sed nullibi in jure contractus ille fidelium absque intentione Sacramenti, sive à qua per intentionem absolute ratio Sacramenti est separata, invalidatur, imò ex c. fin. de condit. apposit. colligitur contrarium, dum ibi condiciones turpes et impossibiles à contractu

G

matri-

mattimoniali rejiciuntur; adeoque conditio illa, quod ille contractus Sacramentum non sit, tanquam turpis est repellenda, subsistente nihilominus contractu matrimoniali. Negant è contra Castrop. (qui etiam dicit hanc sententiam veriorè) *cit. p. 1. n. 5.* citatis etiam pro ea Sanch. *l. 2. de mat. d. 10. n. 6.* Cönnick. *d. 24. du. 6. concl. 4.* &c. ad quos accedit Pith. *h. r. num. 74.* Fundamentum eorum est omnino contrarium, nimirum, quod cum Christus ita contractum matrimoniale fidelium elevaverit ad rationem Sacramenti, totaque essentia Sacramenti consistat in contractu illo, quod fideles tradunt sibi corpora ad usum conjugalem, fideles intendentes verum matrimonium, non possint non velle suscipere Sacramentum, sive non possint unam intentionem separare ab alia. Verum negabunt adversarii sequelam, & retorquebunt dicendo: Christus ablutionem & prolationem elevavit ad rationem Sacramenti, totaque essentia Baptismi consistit in illa ablutione & prolatione, & tamen possunt separari à ratione Sacramenti. An verò licitum sit, fideles contrahere matrimonium, separando ab eo per intentionem rationem Sacramenti, dum etiam lex nulla humana aut divina ostendi queat, quæ id veteri, alia est questio; saltem non sequitur: possunt eam separationem facere; ergo licet eam facere. Sed neque ex eo, quod Florentinum & Trident. absolute & sine exceptione pronuncient, matrimonia fidelium Sacramentum esse, satis efficaciter probatur contrarium; cum supponere videantur, fideles secundum usum communem & institutionem Ecclesiæ non aliter contrahere matrimonium, quam saltem implicite intendendo suscipere Sacramentum, non excludendo ejus rationem positivè, quemadmodum etiam A catholici contrahentes matrimonium, dum propter errorem speculativum, quod putant matrimonium non esse Sacramentum, nolunt suscipere Sacramentum, illud nihilominus adhuc suscipiunt, dum non obstante illo errore suo, intendunt celebrare matrimonium eo modo, quo solent baptizati fideles Christiani; adeoque eorum matrimonia adhuc sunt indissolubilia. Quod si autem nullatenus & absolute nollent suscipere Sacramentum, sed solum celebrare contractum civilem; adversarii non admittent, ut volunt AA. secundæ sententiæ, illos omnino nihil facere, sive nec contractum, nec Sacramentum, sed dicent, illos adhuc celebrare matrimonium, sicut infideles cum hoc solum discrimine, quod ratione Baptismi eorum matrimonium sit ratum & indissolubile.

Quest. 85. An matrimonium fidelium celebratum per epistolam vel procuratorem sit verum Sacramentum.

Resp. affirmativè: Valent. *Tom. 4. d. 10. q. 1. p. 6. in solut. ad 4.* Sanch. *l. 2. d. 11. num. 27.* Bellarm. *de mat. l. 1. c. 5. ad 1.* Pont. *l. 1. c. 10. n. 3.* Gutt. *de mat. c. 43. n. 8.* Castrop. *n. 8.* contra Cajet. *in opusc. de mat. q. 1.* Bassolis & plures alios apud Castrop. *n. 7.* quorum sententiam probabilem judicat Rebell. *de oblig. just. p. 2. l. 2. q. 5. concl. 2.* Ratio est, quod matrimonium non secus ac alii contractus legitimi celebrari possunt per literas & procuratorem, utpote qui non egent verbis formalibus, sed perfici possunt verbis æquivalenter talibus, cum igitur Christus elevando contractum legitimum ad rationem Sacramenti, non immutaverit contractus naturam, nihil obstat, quò minus celebrans dicta ratione contractum matri-

monialem verum suscipiat Sacramentum. Sed neque requiritur ad suscipiendum Sacramentum, ut actuale habeat libertatem, sed sufficit, quod illam habuerit, nec revocaverit, ut contingit in eo, qui dormiens baptizatur, hoc verum, quod ad ministrandum per propriam personam Sacramentum requiratur actualis in ministro libertas, sed cum Sacramentum matrimonii celebrari possit per personam intermediam, non requiritur, ut quando ministratur, minister ejus principalis habeat actuale libertatem. Castrop. *n. 9.* ut verò dignè suscipiatur, debet, non procurator, sed ille, cujus nomine contrahitur matrimonium, esse in gratia eo tempore, quo contrahitur, adeoque tenetur ad gratiam sese disponere pro eo tempore, quo probabiliter credit à procuratore celebrandum.

Quest. 86. Quæ sit materia & forma Sacramenti matrimonii.

1. **R**esp. in hac questione resolvenda vel maxime dissident AA. præteritis aliis minùs probabilibus, veritati viciniore aliquot subjungo responsiones. Primò Rebell. *l. 2. q. 4. f. 3.* Valent. *l. c. Navar. c. 2. n. 20.* Sylv. *v. matrimonium. q. 1.* volunt materiam esse consensum, formam verba, quibus is exprimitur, sed contra est, quod materia tam contractus humani & politici, quam Sacramenti prout distincta à forma, nequit esse integrè & totaliter insensibilis, secus ac accidit in Sacramento penitentiæ, in quo licet contritio insensibilis sit materia proxima, prout tamen distincta à confessione seu verbis non est tota materia, ad hæc, pro ut requiritur ad formam, verba non determinant aut perficiunt consensum, sed solum illum declarant, iisdem ferè rationibus refellitur directè opposita sententia dicens verba esse materiam, & consensum esse formam.

2. Secundò docent Suar. *Tom. 3. de Sacram. d. 2. f. 1.* Bellarm. *l. 1. de mat. c. 6.* Sanch. *l. 2. d. 5. n. 6.* Cönnick. *d. 24. d. 3. concl. 1. n. 33.* Gutt. *de mat. c. 41. n. 1.* Pith. *h. r. n. 75.* mutuo consensu verbis expressos esse sibi invicem materiam & formam sub diversa consideratione, nimirum esse materiam, quatenus corporum traditionem continent, & esse formam, quatenus illorum acceptationem significanc; eò quod cum in omni contractu sit traditio & acceptatio, & traditio inefficax sit, quousque acceptatione compleatur & perficiatur, meritò contractus, pro ut significat traditionem, rationem materiæ determinabilis habere debet, & rationem formæ, prout acceptationem denotat. Sed contra hanc sententiam esse videtur, quod contractus non tam constet ex traditione & acceptatione, quam illam pro objecto habeat, formaliter autem & intrinsecè consistat in mutuo consensu interno verbis seu signis expresso. Ad hæc in hac sententia non satis explicari possit, qualiter hoc Sacramentum sicut & reliqua perficiatur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma; cum traditioni & acceptationi, quæ fit ex consensu verbis expresso, ratio verborum & rerum convenire nequeat. Item non explicatur, qualiter verba à rebus distinguantur, pro ut ea in omni Sacramento distinguit Florent. dum dicit, Sacramenta omnia perfici verbis tanquam forma & rebus, ut materia.

3. Tertiò docent Castrop. *d. 2. p. 3. num. 2.* Vasq. *in 3. part. Tom. 2. d. 129. c. 3. & d. 3. de mat. c. 5.* Pont. *l. 1. c. 7. num. 12.* Covar. *part.*

part. 2. de mat. c. 1. §. unico. num. 8. Gasp. Hurad. d. 3. de mat. diff. 21. &c. consensum utriusque contrahentis verbis vel signis expressum esse formam matrimonii, tam in ratione contractus quam Sacramenti (eadem enim est forma & materia utriusque, dum Christus instituens Sacramentum matrimonii contractui matrimonii non mutato superaddidit, seu adunxit rationem Sacramenti, seu vim practicè significativam gratiæ) materiam verò proximam esse traditionem & acceptationem corporum, & materiam remotam ipsa corpora, esse verò materiam, non ex qua contractus coalescat, sed circa quam versetur, & quæ ipse contractus perficiatur, juxta Concilium Florent. signanter dixeris, Sacramenta omnia perfici rebus tanquam materia & verbis tanquam forma, tacitè hac ratione indicans, non esse necessarium, quòd Sacramenta omnia intrinsecè constent rebus vel verbis; cum aliàs dicere debuisset *constare, non perfici*. Ex eo magis placere posset hæc sententia, quòd meliùs hoc modo explicari queat, qualiter matrimonium, ut reliqua Sacramenta perficiatur rebus tanquam materia, & verbis tanquam forma. Item qualiter matrimonium cum reliquis conveniat contractibus, quorum forma est consensus expressus verbis contrahentium, & illud est materia, quod consensus ille respicit & circa quod versatur.

Quest. 87. Quis sit minister Sacramenti matrimonii.

R Esp. Sunt ipsi contrahentes. Sanch. l. 2. d. 6. num. 2. Pont. l. 1. c. 8. num. 3. Castrop. p. 4. num. 2. cum communi & certa; ille enim solus est minister Sacramenti, qui illius materiam & formam ponit. hoc faciunt soli contrahentes, expriment enim mutuum consensum de mutua corporum suorum traditione & acceptatione, & certè constat contrahentes esse ministros matrimonii, quatenus est civilis & naturalis contractus, eatenus autem illud Christus elevavit ad rationem Sacramenti, Supponit hoc ipsum, nempe parochum nihil participare de ratione ministri. Trident. sess. 24. c. 1. irritando matrimonia celebrata sine præsentia parochi; supponit siquidem matrimonia aliàs celebrata sine parochi præsentia fuisse valida tam in ratione contractus quam Sacramenti. Porò contrahentes in peccato mortali, quatenus sunt ministri, peccare saltem mortaliter; eò quod non sint ministri consecrati ad hoc munus, negant Sanch. l. 2. d. 1. num. 4. Cönninck. d. 24. du. 3. num. 34. affirmant è contra Castrop. n. 3. Pont. l. 1. c. 8. n. 11. Vasq. l. c. d. 136. c. 3. Navar &c. eò quòd sint Christi instrumentum ad gratiam conferendam.

Quest. 88. An & qualis consensus requiratur ad matrimonium.

R Esp. Conjugum consensum necessarium esse ad matrimonium, indubitatum est, prout deciditur expressè, c. cum locum, c. tua h. t. eumque liberum libertate sufficiente ad peccatum mortale; quia causa est translativa domini proprii corporis & gravis obligationis, posse tamen matrimonium sumptum pro vinculo & obligatione ad cohabitationem mutua à Deo concedi & imponi conjugibus absque eorum consensu probabilius censet Castrop. cit. d. 2. p. 5. num. 2. citans pro hoc Sanch. l. 2. d. 26. num. 1. Cönninck. d. 24. du. 5. concl. 1. & 2. Gurt. de mat. c. 46. num. 1. eò

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

quòd nulla appareat in hoc repugnantia, quòd Deus suppleat, id quod præstare debebat consensus, tradendo conjugibus mutuo dominium in corpora, & hac ratione extraordinariè per divinam potentiam acquiri dominium sine positiva acceptatione seu consensu in illud; cum ex potestate civili probabiliter possit alicui quæri dominium contra ejus voluntatem; quin & aliqui censent, sic de factò Deum conjunxisse primos parentes sine eorum consensu, idque indicari verbis illis Christi *Matth. 19. quod Deus conjunxit, homo non separet*; de quo vide Castrop. l. c. n. 3. Illud certum, nulla potestate humana posse aliquos conjugi in matrimonium sine eorum consensu; cum neque Ecclesia, neque Princeps ullus alius habeat dominium in nostra corpora, præcipuè quò ad usum matrimonii; proinde textus nulli definiant, matrimonium quandoque, deficiente consensu, subsistere. V. G. vi præcisè copulæ subsecuta Sponsalia; sed quia quandoque in aliquo dubio tam vehementer præsumunt ex conjecturis consensum adfuisse, ut nullam in contrarium admittant probationem, hac de causa declarant prædicta matrimonia esse valida.

Quest. 89. In quid consensus ille expresse vel saltem virtualiter ferri debeat.

R Esp. Necessè est, ut feratur in mutua corporum traditionem, in obligationem justitiæ ad conjugalem copulam, obligationemque abstinendi à qualibet alia; in dicta enim traditione & obligatione consistit essentia matrimonii. E contra verò, quia carnalis copula, mutua cohabitatio, & fidelitatis observatio non sunt de essentia matrimonii; neque illud necessaridò consequuntur, necessè non est, ut in ea feratur consensus. Castrop. num. 5. His non obstantibus, quòd videatur matrimonium consistere absque ulla obligatione ad copulam. V. G. dum conjuges mutuo consensu vovent castitatem vel promittunt invicem se nunquam petituros debitum. Nam in contractu matrimoniali non oritur obligatio justitiæ ad copulam petitam pro omni occasione ac tempore reddendam; sed quoties alter non fuerit impeditus eam petere, uti accidit, dum conjuges privarunt se jure libere petendi ex voto vel mutuo consensu; adeoque excusantur tunc conjuges ab obligatione reddendi debitum; quia in isto casu non est debitum.

Quest. 90. Num falsò existimans subesse impedimentum dirimens consentire validè possint in matrimonium.

R Esp. Negativam, quam tenent Cönninck l. c. du. 6. Navar. c. 22. num. 56. Castrop. l. c. num. 8. aliique apud Sanch. l. 2. d. 33. num. 1. contra eundem, uti & Gurt. l. c. c. 47. n. 1. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 3. §. 7. Videri probabiliorè; eò quòd certò absque formidine credens subesse impedimentum, credat matrimonium sibi absolutè esse impossibile, quâ falsa cognitione stante, nequit seriò velle matrimonium, non solùm absolute (ut concedunt AA. oppositæ sententiæ) sed neque sub conditione, si possibile est, ut volunt iidem. Quia ad hanc voluntatem habendam debebat credere, in aliquo casu possibile sibi esse illud matrimonium, quod credere non potest, quam diu indubitanter credit adesse impedimentum dirimens illud pro omni casu.

G 2

Fru-

Frustraque adducitur in oppositum exemplum hæretici validdè baptizantis, etsi firmiter credat Baptismum non esse Sacramentum; nam non ideo validdè baptizat, quia baptizat sub conditione, si fortè sit Sacramentum, quia istam voluntatem habere non potest, dum absolute credit, non esse, nec esse posse in aliquo casu Sacramentum, sed quia intendit facere, quodd Christus instituit, sub qua intentione continetur voluntas conferendi Baptismum Sacramentum, & quæ consistere potest cum credulitate & errore, quo existimat non esse Sacramentum. Item frustra adducitur *Clem. unica de consanguinitate*, ubi excommunicatur, quia verè contraxit, vel etiam efficaciter contrahere intendit matrimonium; sed quia extrinsecus id attentavit animo vacandi libidini.

Quæst. 91. Num consensus utriusque conjugis debeat simul existere.

R Esp. ut utriusque conjugis consensus physicus & actualis sit simul, non requiritur, neque ratione Sacramenti, utpote ad quod constituendum sufficit partes inter se moraliter conjungi & coexistere sibi, ut patet in Sacramento penitentia; neque ratione contractus, in quo facilius adhuc admittitur illa moralis conjunctio. *l. qui presens. ff. de V. O.* paterque in præsentem, dum contractus matrimonii celebratur per epistolam vel procuratorem. Poterit itaque matrimonium celebrari consensu physicè præterito habitualiter perseverante, absque eo, quod opus sit permanere illum in effectu aliquo producto, qui sit causa contrahendi; cum nihil physicum efficere debeat, sed solum hunc moralem effectum, traditionem nimirum mutuum corporum, mutuaque obligacionem, ad quam præstandam sufficit perseverantia moralis habitualis; ideoque licet multum temporis intercesserit inter unum & alium consensum physicè elicitos, si tamen de facto neque expressè, neque tacitè revocatus fuerit, sufficere ad contrahendum matrimonium. Ita *Castrop. p. 6. num. 2.* idem ferè sentiunt, *Sanch. l. c. d. 32. q. 2. num. 7.* *Pont. l. 2. c. 16. an. 2.* *Cönninck. l. c. du. 7. concl. 1.* & 2. nisi quod velint relinquendam arbitrio prudentis, quantum temporis intercedere possit inter consensum illos mutuos. Unde jam etiam patet, hæc locum habere, ubi viget Trident. sive ubi requiritur præsentia Parochi & testium; dum nimirum hodie exprimitur consensus unius coram parochi & testibus et alterius consensus coram eodem parochi & iisdem testibus die alia, etsi hi nesciant, num prior consensus revocatus sit, cum id necessarium non sit, ut patet, dum assistunt matrimonio celebrato per procuratorem. An verò consentiente fictè, altero præbente consensum legitimum, possis dein denuo verè consentire, quin alter denuo consentiat, ac ita celebrare matrimonium validum, non ita certum est. Affirmat *Sanch. l. 2. d. 32. num. 2.* eò quòd prioris consensus adhuc maneat habitualiter. Negat *Castrop. num. 3.* eò quòd non tantùm primus ille consensus tuus ob fictionem fuerit nullus, sed etiam alterius consensum reddiderit nullum; cum is non intenderit traditionem corporis sui, nisi alter etiam sui corporis traditionem fecerit, quia est contractus mutuos onerosus; adeoque ex perseverantia dicti consensus, utpote nullius valoris, consurgere nequeat matrimonium,

Quæst. 92. An & qualiter consensus matrimonialis exprimendus.

1. **R** Esp. primò: Necessario exprimendus verbis vel signis; cum matrimonium sit contractus respectivus humanus & politicus, qui solamente celebrari nequit; estque insuper Sacramentum, quod necessariò est signum sensibile gratiæ sanctificantis.

2. **R** Esp. secundò: Etiam in valentibus loqui, consensum exprimi per verba formaliter talia non est de necessitate Sacramenti. *Sanch. d. 31. n. 5.* *Valq. d. 3. de mat. c. 7.* *Covar. in 4. decret. p. 2. c. 4. n. 1.* *Pont. l. 2. c. 7. n. 4.* *Castrop. p. 7. n. 3.* *Arg. c. unic. 8. fin. de despons. impub. in 6.* ubi pro puella præsentem & tacentem pater præstat consensum & verum matrimonium constituit; quia puella medio illo silentio contentum patetnum approbat; ut inquit *D. Thom. in 4. dist. 27. q. 1. a. 2. q. ad. 3.* Et certè si verba necessitate Sacramenti necessaria essent, id utique expressisset *Florent.* dum exactè materias & formas Sacramentorum declarat. Dum verò idem Concilium ait: *causa efficiens matrimonii est consensus regulariter per verba de præsentem expressus*; non vult consensum, prout ordinariè exprimitur per verba eadem, esse causam necessariam Sacramenti, sed indicat solum consensum, qui est causa Sacramenti, ordinariè seu regulariter & commodius exprimi per verba.

3. **R** Esp. tertio: Sed neque in valentibus loqui ad exprimendum consensum, verba sunt necessaria necessitate præcepti, quia nullibi tale præceptum exstat. *Sanch. l. c. n. 10.* *Gutt. c. 46. n. 11.* (qui tamen volunt esse peccatum veniale, dum valentes loqui omitunt verba, quod tamen sibi non placere, ait *Castrop.* quia ubi nulla lex, ibi nulla prævaricatio) *Pont. l. 2. c. 7. n. 14.* *Cönninck. l. c. du. 8. concl. 4.* Illud tamen fatendum, esse maximè decens, ut contrahentes verbis utantur, ad hoc, ut Ecclesiæ certius constet de matrimonio contracto, quod & non plus vult textus *c. sua fraternitati*; dicens, verba quòd ad Ecclesiam esse necessaria. item textus, *c. licet, & c. consultationi*, nimirum verbis matrimonium perfici; non quasi ea ex institutione Ecclesiæ sint necessaria seu præscripta, sed quòd sint signa aptiora consensu; unde etiam ait *Castrop. cit. n. 5. in fine.* quandoque ratione scandali, & ne dubius reddatur contractus, sub peccato mortali necessarium esse contrahentes consensum suum verbis exprimere.

Quæst. 93. An & quando copula inter Sponfos de futuro signum sit expressivum consensus matrimonialis.

1. **R** Esp. primò: est signum sufficienter expressivum consensus matrimonialis seu matrimonium contractum esse in iis locis, ubi Tridentinum non est receptum, non quidem ex natura rei, sed præsumptione juris, quatenus jus piè præsumit, matrimonium ante copulam illam contractum, ne ea aliàs sit fornicaria, dum enim Sponfi de futuro possunt inter se copulari tam animo fornicario quam affectu conjugali, Ecclesiæ, ne iudicet illos deliquisse, credit copulam processisse affectu conjugali, voluisseque Sponfos hac ratione promissionem matrimonii contrahendi ad executionem deducere. *Castrop. p. 8. num. 4.* juxta *c. ii quisidem. c. fin. h. t.* Porrò dum Titius contrahit Sponsalibus cum Anna, eà invitâ contrahit

Spon-

Sponsalia cum Maria, & dein utramque cognoscit; copula illa habita cum Maria non poterit esse signum contracti cum ea matrimonii; quia sponsalia cum ea fuerunt nulla; copula verò illa cum Anna habita potuit esse signum contracti cum illa matrimonii, licet enim voluntatem habuerit recedendi ab eius sponsalibus, contrahendo sponsalia cum Maria, de facto tamen non recesserit, & copulam cum ea habens, censendus est prædictum contractum approbasse, & attentatum recessum emendasse, Castrop. n. 5. cum Pont. l. c. c. 12. n. 6.

2. Resp. secundò: In locis, ubi receptum Trident. copulam habitam inter sponso de futuro coram Parocho & testibus esse signum sufficiens consensus conjugalis; adeoque per eam sponsalia transire in matrimonium; eò quòd jam Parochus & testes, qui prius assisterunt sponsalibus, assistentes dein tali signo seu copulæ sufficienter de consensu in matrimonium testari possint, affirmant Sanch. L. 3. d. 40. n. 7. Gutt. c. 41. n. 13. Henriq. L. 11. c. 3. n. 7. quod et si neget Castrop. n. 6. cum Cönnick. nihil tamen in contrarium afferunt, non enim video, cur (quod dicunt) copula illa non possit esse signum consensus habitum coram Parocho, quod requiritur; cum copula illa præsumptivè procedat ex affectu conjugali, adeoque sit præsumptivè ipse consensus in executionem promissi matrimonii, de consensu matrimonii coram se habiti satis testari possunt.

3. Resp. tertio: Ob attentationem copulæ habitam post sponsalia non præsumitur matrimonium contractum; adeoque ea non est signum expressivum consensus matrimonialis. Castrop. n. 7. juxta *adolefens. fin. h. t.* non enim jure inducta est præsumptio de matrimonio contracto ex attentatione copulæ, sed ex copulæ; ergo ea sine fundamento non extendenda ad hanc attentationem. His non obstante, quòd in dicta attentatione facta non animo conjugali admitatur culpa. Nam non solum ob vitandam culpam utrunque præsumitur matrimonium ex copula; sed ob vitandam talem culpam, ex qua femina amittit sui corporis integritatem, quæ maximi apud illam habetur, ut Castrop. Unde jam etiam inferitur à fortiore ex osculo, amplexibus, tactibus turpibus inter sponso non posse præsumi contractum ab iis matrimonium, Pont. l. c. n. 14. Covar. l. c. p. 1. c. 4. §. 2. n. 2. Castrop. n. 8. Arg. c. 1. de matr. contract. contra merd. Eccl.

Quest. 94. Quenam præterea sunt signa expressiva consensus matrimonialis, seu matrimonii contracti.

1. Resp. Ex traductione puellæ in domum sponsi, attentato jure civili præsumi potest contractum matrimonium, L. mulier ff. de ritu nupt. non tamen attentato jure Canonico. Menoch. L. 3. præsump. 1. n. 55. Gutt. c. 41. n. 4. Castrop. n. 9. eò quòd Jus Canonicum solum ex copula habita inter sponso præsumit consensum matrimonii, quæ dispositio, utpote exorbitans à jure, non debeat extendi ad alia. Secus tamen esset, si ea traductio fieret ea solennitate, quæ attentat loci consuetudine uxor solet ad domum matiti deduci. Castrop. l. c. Arg. c. vidua. de regul.

2. Resp. secundò: Præsumitur ex longa cohabitatione, quæ vir & mulier se tractarunt ac conjuges. Male. L. 25. de prob. concl. 1022. Menoch. L. 3. præsumpt. 1. Castrop. nu. 10. dicens id procedere à fortiore, dum agitur de probanda filiorum legitimitate maxime si parentes sint defuncti, quos decessisse in peccato mortali præsumi non debet, sed potius ante mortem contraxisse matrimonium,

3. Resp. tertio: Acceptatio annuli submissi à sponso sponsæ, præcedente jam tractatu de contrahendo matrimonio non est signum consensus præbiti in matrimonium, nisi ubi consuetudo habet, illam hac ratione significari; alias enim non nisi pro sponsalium confirmatione serviet. Sanch. l. 1. de matr. d. 22. n. 1. Pont. l. 2. c. 11. n. 2. Castrop. n. 11. idem esse dicens de porrectione manuum.

Quest. 95. Finis matrimonii quotuplex, & quo sine intendi debeat.

1. Resp. primò: Finis matrimonii alius est intrinsecus & essentialis, nimirum mutua corporum traditio & obligatio radicalis ad reddendum debitum. Castrop. cit. d. 2. p. 10. n. 1. & hic finis necessariò intendendus, non solum, ut matrimonium licitè, sed & validè contrahatur, Sanch. l. 2. d. 29. cum communi.

2. Resp. secundò: Finis alius matrimonii est accidentalis, proprius tamen illi, nempe tam generatio prolum, quam habere concupiscentiæ remedium juxta illud Apost. 1. ad Cor. 7. Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat: aut etiam mutua obsequiorum communicatio. Finis hic trinus honestè intenditur. Prior, quia ad hunc matrimonium ab authore naturæ institutum est. Alter, quia consilium est Apostoli, Cessante verò potentiâ ad generandum & periculo fornicationis, adhuc matrimonium honestè intenditur ob dictam obsequiorum communicationem; quia & ob hanc matrimonium institutum est.

3. Resp. tertio: Fines alii sunt extranei, v. g. voluptas, honor, divitiæ, pax inter consanguineos, conservatio familiae &c. inter hos fines aliqui per se honestatem moralem continent, ut pax Reipublicæ vel inter amicos, conservatio familiae illustri. Et propter hos fines licitè, & honestè contrahitur matrimonium. Siquidem neque ex fine, neque ex medio, quod eligit (utpote quorum utrumque honestum est) vitatur talis intentio. Neque etiam obster, quod matrimonii finis alius sit magis proprius, & principalis. Nam hunc expressè intendere, non est obligatio, sed satis est illum non excludere, ut patet à simili, dum linguâ data primò ad conceptus exprimendos, uti quis potest licitè ad cantandum alii unive finem extrinsecum non inhonestum, ita tenent Pont. l. 1. de matr. c. 21. n. 13. Cönnick. d. 25. d. 2. concl. 4. n. 18. Castrop. n. 3. contra Sanch. l. 2. d. 29. n. 26. Laym. l. 5. rr. 10. c. 4. n. 2. Navar. &c. in quantum putant, peccatum saltem veniale esse propter inordinationem intendere per se primò finem secundarium, & matrimonio extrinsecum.

4. Resp. quartò: Sed & intendere matrimonium ob fines illos alios extraneos de se honestatè moralem non habentes, v. g. ut evadas dives, fruaris dote & pulchritudine uxoris, uti & voluptate copulæ, non esse peccatum etiam veniale, docent iidem Cönn. Pont. Castrop. l. cit. eò quòd velle uti actu per se honesto (qualis est contrahere matrimonium) retinendo, vel non excludendo fines illius alias in eo imbibitos, ad obtinendum aliquid temporale non inhonestum, nullatenus sic peccatum, dum in eo casu non operatur quis absque sine virtutis, qui in ipso opere intrinsecè imbibitur, & qui in executione illius operis intenditur, dum non excluditur. Unde Cajetan. Tom. 1. opuscul. rr. 12. de matr. q. 3. Sanch. l. 2. d. 29. n. 25. Gutt. c. 46. n. 7. Covar. & alii apud Castrop. affirmant, regulariter nullum peccatum committi à contrahente ob solam uxoris pulchritudinem &c. eò quòd esto horum consecutionem medio matrimonio ita expressè intendat, ut

nisi hæc adessent, non contraheret. Quia tamen finis ipsius operis huius non excluditur, horum bonorum consecutio reputari debeat, non tam finis operis, quam motivum impulsivum seu excitativum illius.

Quest. 96. Consensus matrimonialis qualiter debeat esse liber à metu, & num is reddat matrimonium invalidum.

Resp. Tametsi in aliis contractibus metus gravis injustè incussus nullitatem ipso jure non inducat, sed ad summum reddat rescindibilem, inducit tamen eam in matrimonio, *c. cum locum. c. veniens. h. 2.* Ratio est, quòd alii contractus, etiam validi, rescindi possunt auctoritate Judicis; matrimonium tamen semel validum nullà auctoritate humana rescindi potest. Secus tamen est, si metus sit justè ac licitè incussus; eò quòd tunc metus non tam infertur ab extrinseco, quam ab ipso patiente metum, qui illius causam dedit. Neque tam incurritur metus ad extorquendum contractum, quam contractus proponitur ut medium vitandi metum, seu potius malum intentatum, cujus ipse causam dedit. Sic dum quis obligatus est contrahere matrimonium, vel quia promittit illud; vel quia defloravit mulierem, potest justè cogi intentatis gravibus pœnis contrahere matrimonium, illudque ex metu talium pœnarum contractum erit validum. Porro coactus contrahere matrimonium, si verba proferat animo se obligandi, etiam si cognoscat, se obligatum non esse, nullum committit mendacium, cum idem, quod habet in mente, verbis proferat, vult enim, quantum est ex se, obligare se, & hanc voluntatem verbis explicat. Nullam quoque Sacramento irrogat injuriam; quia contractus metu extortus irritus est, & consequenter neque materia, neque forma Sacramenti esse potest; Secus ac contingit, dum quis cogitur proferre formam Sacramenti super materia indebita; cum formam ejus irritam faciat, uti Sanch. aliis relatis. *l. 4. d. 16. n. 6.* Si verò verba non verè, sed fictè proferat, nulla retenta mentis restrictione, committit peccatum leve mendacii, quia non tenetur consentire, à quo peccato, ut Castrop. *p. 12. n. 3.* facile excusari possit, si cum æquivocatione restrictioneque intellectus illa verba proferat.

Quest. 97. Quæ pœna injustè cogentium subditos ad matrimonium minis & terroribus?

Resp. Tridentinum *Sess. 24. cap. 9.* dominos temporales id facientes punit anathematis pœnâ ipso facto incurrendâ, importatque hæc pœna non quandam solennem maledictionem, sed veram excommunicationem, sicut aliàs solet nomine anathematis intelligi excommunicatio major. Sanch. *l. 4. d. 22. n. 8.* Castrop. *l. c. n. 5.* Feriuntur autem hæc pœnâ solum domini temporales; habentes jurisdictionem in foro sæculari; cum hi, qui ex officio proprio tenebantur subditos à coactione tueri, coactionem infertunt, meritò præ aliis puniantur. Unde hæc excommunicationem non incurritur parentes cogentes filios ad matrimonium, neque Parochus, neque Episcopus, qui dominus temporalis non est. Sanch. *n. 9.* Castrop. *l. c. Gutt. c. 79. n. 12.* neque Rex, neque Imperator, eò quòd licet domini temporales sint, debebant propter eorum dignitatem necessariò excipi. Castrop. Sanch. Gutt. *ll. cit.*

Quest. 98. Qualiter filii cogi possint à parentibus ad matrimonium?

1. **R**esp. primò: Si filii aliàs non tenentur contrahere matrimonium, sed volunt religionem vel cælibatum eligere, ne quidem leviter possunt à paren-

tibus ad matrimonium cogi, aut obligari; quia injusta est obligatio electionem status melioris impediens, Sanch. *d. 23. n. 4.* Gutt. *n. 17.* Castrop. *n. 6.* Si verò filii teneantur ad matrimonium, quia vel promiserunt, vel quia id necessarium, ut gravi parentum necessitati succurratur, aut alia de causa, possunt à parentibus coactione moderatâ ad id obligari; quia parentes possunt obligare filios, ut debitis jure naturæ satisfaciant. Gutt. *n. 16.* Castrop. *cit. n. 6.*

2. **R**esp. secundò: Si filii neque dictam obligationem contrahendi matrimonii habent, neque volunt religionem aut cælibatum eligere, per se adhuc cogi seu obligari nequeunt à parentibus ad matrimonium illud, quod parentes v. g. promiserunt, vel volunt. Gutt. *n. 15.* Sanch. *l. 4. d. 23. n. 3.* Castrop. *n. 8.* contra Bellarm. *de matr. l. 1. c. 19.* Nav. *in sum. c. 14. n. 15.* Rebell. Rodriq. & c. eò quòd matrimonium sit perpetua quædam servitus, gravissima secum ducens onera, quam non est conveniens aliena voluntate subire, maximè cum ea debeat constitui amore mutuo conjugum, qui ratio habetur ex matrimonio aliena voluntate contracto. Neque obstat *c. 1. de de spons. impub.* ubi de matrimonio à parentibus promisso inquit Papa: *Et postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, debet hoc omnino adimplere:* nam rò debere non est de præcepti, sed de honestatis debito accipiendum propter subjctam materiam, quæ summam libertatem importat, juxta *Gl. ibid. & Host. in fine.* Possunt nihilominus per accidens quandoque filii ad hoc obligari ex lege v. g. caritatis, dum præsumunt ob spretam parentum voluntatem odia, rixas, aliaque gravia inconvenientia oritura. De cætero, quod communiter tradunt AA. cum Sanch. *d. 23. in fine,* obligatos esse sub gravi culpa filios expectere saltem consilium parentum, eò quòd censetur gravis contemptus spernere consilium eorum in re gravi, quibus à natura incumbit prospicere bono filiorum, id ad summum, inquit Castrop. *l. c. n. 11.* dum filii indifferentes sunt ad hoc vel illud matrimonium; Secus, si jam ad unum determinatis quia frustra tunc petitur consilium; imò gravius id tunc offensionis causa esse possit.

Quest. 99. An parentes filium aut filiam nubentem contra eorum voluntatem possint exheredare, aut ei dotem negare.

1. **R**esp. ad primum; Filiam nubentem indigno invitatis parentibus jure saltem communi non posse exhereditari, nisi fortè 25. annos necdum attingerit, & luxuriosam vitam ducat, relicto matrimonio ei à parentibus proposito, juxta *auth. utcumq. de appell. cognosc. §. aliud quoque.* Probabilius quidem cenet Castrop. *cit. p. 12. n. 12.* censent quoque Covarr. *p. 2. de matr. c. 3. §. 8. n. 5.* Azot. *p. 1. l. 2. c. 25.* Sanch. *l. 4. d. 25. n. 2.* Vafq. Hurtad. & c. leges similes loquentes de pœnis appositas contrahenti matrimonium contra rationabilem voluntatem parentum repugnare Juri Canonico, eò quòd id libertatem suam in matrimonio contrahendo requirat; ideoque pœnam sponsalibus adjunctam annullat. *c. gemma. l. c. exhereditatio autè sit gravissima pœna.* Ad hæc condere leges circa matrimonium, & de illarum observatione judicium ferre sit potestatis ecclesiasticæ, non civilis. Nihilominus idem Castrop. *n. 14.* cum Claro *pract. 4. 82. n. 12.* Pont. *de matr. l. 2. c. 1. n. 29.* Molin. *de just. tr. 2. d. 176. n. 24.* Rebell. *de matr. q. 14. f. 3.* & aliis, quos citat, tanquam probabilius defendit contrarium; eò quòd appositio pœnæ filie nubenti contra rationabilem voluntatem parentum, maximè si nubat indigno, & vitam luxuriosam ducat, non sit causâ matrimoniales judicare, neque

neque matrimonium impedire, sed bono filiorum providere, abusus conjugii impedire, inimicitias, rixas & odia vitare &c. ad hæc exhæreditatio non fit iudicanda pœna, sed præmii negatio, dum filiis jure naturæ solum debeantur alimenta ad vitam necessaria; hæreditas autem & successio sit jure positivo inducta, ac consequenter jus positivum merito dictam successione denegare possit filiis parentum iustæ voluntati in re tam gravi contradicentibus, *cit. verò c. gemma*, solum prohibeatur pœna conventionalis appositæ recedentibus à matrimonio utcumque contracto. Ex quo inferre non liceat, prohibitam quoque pœnam nubentibus contra iustam parentum voluntatem; cum id matrimonio nullum præjudicium afferat, sed potius ejus finem promoveat, contrahentiumque bono, & Reipublicæ paci consulat. Non posse autem tali filia nubenti contra voluntatem parentum indigno negari alimenta; eò quòd hæc jure naturæ sint debita, tradunt Sanch. *L. 4. d. 26. n. 1. Molin. l. c. d. 168. in fine. Gutt. c. 76. n. 4. Castrop. n. 16. contra Molin. Justitiam, de primog. l. 2. c. 16. n. 3.*

2. Resp. ad secundum: Filia minori 25. annis nubenti absque patris consensu, & sine promissione dotis, patrem teneri adhuc dare dotem, eò quòd dos non solum ad sustentationem vitæ concedatur, sed ut onera matrimonii facilius portari valeant, *c. salubriter. de usur.* Patet autem teneatur dotare filiam, etiam si ea aliunde habeat, & pater dotem non promiserit, ut *Gl. in c. de raptoribus in fine. 36. q. 1.* Et filia nubens digno, etsi contra voluntatem patris, adhuc rectè gesserit negotium patris, agendo quod pater ipse facere tenebatur, id, inquam, ex hac ratione, ut probabile defendit Castrop. *n. 17. contra Sanch. d. 26. n. 17. Covar. 2. part. decret. c. 3. §. 8. n. 8.* Quòd si verò filia sit major 25. annis, etsi nuperit indigno, teneri patrem eam dotare, eò quòd ipsi patri tribuendum, quòd nuperit indigno; cum tam longo tempore distulerit matrimonium, astringit Castrop. *n. 18. citato Sanch. d. 26. n. 1. qui mox tamen ita limitat, ut ferè contrarium dicat, dum ait: Limitandum id censuram, ut solum concedi debeat dos necessaria ad vitæ sustentationem, tam ipsius quam viri. Nam licet culpam moralem non commiserit contrahendo cum indigno; attamen commisit culpam civilem, & policicam gravi nota parentes & familiam afficientem, ob quam causam merito potest privari alimentis, & dote, quæ promissio non est, nec jure naturæ debetur, ut Sanch. *n. 18. Covar. Molin. l. cit.**

Quest. 100. An & qualiter matrimonium valide & licite contrahi possit per procuratorem.

1. Resp. primò: Indubitatum est matrimonium per procuratorem celebrari posse licite, ac valide tam in ratione Sacramenti, quam contractus in locis, in quibus receptum non est Tridentinum, prout definitur *c. fin. de procuratorib. in 6.* Jure siquidem naturæ celebrari potest matrimonium, sicut alius contractus; sed alius contractus per procuratorem celebrari potest. Jam verò Christus immutatà contractus naturæ evexit illud ad ratione Sacramenti.

2. Resp. secundò: Pari modo sic celebrari potest in locis, ubi receptum est Trident. patet ex præxi Ecclesiæ passim, maxime inter nobiles ac Principes in dictis locis hac ratione celebrari matrimonia Sanch. *L. 2. d. 11. n. 20. Gutt. c. 43. n. 10. Castrop. d. 2. n. 9.* dicens oppositam sententiam à pluribus DD. notari temeritatis. Sed neque deest tali

matrimonio legitima præsentia Parochi & testium, quod ipsum præcipue obstare videbatur valori talium matrimoniorum. Nam esto, Parochus & testes non sint præsentis consensui actualiter habito à principalibus contrahentibus, sunt tamen præsentis contractui matrimoniali, quippe qui celebratur per procuratorem, quod sufficit; siquidem Tridentinum non dixit, Parochum & testes debere esse præsentis consensui contrahentium, sed contractui matrimonii, quin & consensui alteri parti manifesto per procuratorem interfuit. Et esto præsentia Parochi & testium, qui interfuit, dum consensus præstatur per procuratorem, non sit formaliter, & specificè præsentia Parochi, & testium, quæ interfuit consensui præstato per ipsos contrahentes, sed solum æquivalenter, adhuc non obstat; siquidem, quod, dum præsentia certa requiritur pro forma, impleri non potest per æquivalens, id verum est, ubi id ipsum non obstat juri communi, qualiter in præsentia obstat juri communi (dum illud matrimonia celebrata per procuratorem approbavit) quod Parochus & testes debent assistere formaliter ipsi consensui contrahentium. Item ubi verbis expressis in jure requiritur talis præsentia formalis pro forma, quod non fit in præsentia. Dum autem *L. obligari. ff. de auctor. & consensu. tutor.* requiratur, ut tutor præsentis sit contractibus minorum, non sufficit, illum adesse per procuratorem. Item, quod dum Canonico- rum præsentia requiritur in alienatione rerum Ecclesiæ non sufficit, ut plures docent, illos per epistolam consentire, id speciale, & exinde est, quia eligitur industria tutoris, & Canonico- rum, ut rebus Ecclesiæ & pupilli, aut minoris melius provideatur. Neque refert, quòd Parochus & testes de valore matrimonii testari non possint, dum nesciunt, an interim principalis mandatum revocaverit, aut etiam procurator illud finxerit. Nam necessarium non est, testari illos de valore matrimonii, sed solum de contractu, ad quod ad summum requiritur, ut illis constet procuratorem habere mandatum ad contrahendum (tamen & id opus non esse, probet Gutt. *c. 44. n. 100.*) non verò necesse est, ut illis constet mandatum revocatum non esse; cum quamdiu de revocatione non constat, præsumere debeant, illud durare, sicut etiam præsumere debent, contrahentes contrahere verè, & absque impedimento. Denique nihil refert, quod ex tali celebrato matrimonio per accidens multa sæpe oriantur inconvenientia, ob quæ aut similia matrimonium clandestinum prohibetur. Nam dato ob istiusmodi Ecclesiam potuisse irritare matrimonia celebrata per procuratorem, sicut de facto irritavit clandestina, id jam non fecit, & quis quæso contractus humanus est sine incommoditatibus.

3. Resp. tertio: Non est necesse, etiam in locis, ubi Tridentinum receptum, ut procurator constitutur coram Parocho & testibus; sed sufficit, ut ei mandatum concessum clandestinè, modò tamen concessum ita, ut probari possit & Ecclesiæ constare tale mandatum datum. Si enim hæc præsentia necessaria in constituendo procuratore, id utique Trident. expressisset. Ita enim communi Sanch. *L. 2. d. 11. n. 23. Gutt. c. 43. n. 13. Castrop. cit. p. 9. n. 5.* Et ratio est; quia hac ratione optime adhuc testes testari possunt de contracto matrimonio, etsi testari nequeant de valore mandati; dum Concilium non requirit, ut testentur de valore matrimonii, sed solum de matrimonii exteriori contractu, quo testimonio simul testantur de consensu contrahentium, non in se, sed in procuratore, uti contingit in matrimo-

nio

nio contracto medio interprete. Frustra autem, ut pater, dicitur, mandatum clandestinum esse medium ad matrimonium clandestinum, adeoque hoc prohibito, prohibitum & illud, quippe prohibito sine, prohiberetur & medium ad illum. Nam prohibito sine prohibentur solum illa, quæ eum necessario inferunt. Jam verò mandatum clandestinum non infert matrimonium clandestinum; cum non detur ad matrimonium clandestinè, sed publicè celebrandum. Quæ præterea opponi possent, vide diluta apud Castrop. n. 10.

4. Resp. quartò: Requiritur, ut mandatum hoc sit speciale, eò quòd, cum matrimonium sit res gravissima, ex qua totus status vitæ dependet, oportet, ut specialiter committatur contrahendum. Item debet esse citra personam determinatam, aliàs non erit signum mutui amoris, uti hæc habentur *c. fin. de procurat. in 6.* Castrop. *l. c. n. 1.* Sanch. *l. c. n. 1.* & seq. Covar. *p. 2. de sponsal. c. 4. à n. 8.* Pont. *L. 2. de matr. c. 15. à n. 2.*

5. Resp. quintò: Opus non est, ut mandatum illud concedatur in scripto, sed potest dari ore tenus, sicut de quocunque procuratore dicitur juxta *Gl. in l. maritus. v. prescripserit. c. de procur. & ita tenent Sanch. L. 2. d. 11. n. 14.* Gutt. *c. 43. n. 16.* Castrop. *cit. p. 9. n. 7.* ubi etiam hi AA. quod necessaria non sit in procuratoribus sexuum diversitas, sed fungi possint hoc officio tam duæ feminae, quam duo viri, quia non suo, sed alieno nomine contrahunt.

6. Resp. sextò: Debet procurator hoc mandatum exequi, nec alium sibi substituere potest, nisi id expressè habeatur in mandato; cum electa sit industria personæ: AA. iidem *ll. cit.* Porro attendere debet procurator, ne in executione excedat limites mandati; siquidem in eo, in quo excedit non agit ut procurator, sed ut privatus; adeoque deficiat consensus contrahentis, & sic nihil agitur. Castrop. *n. 3.* Sanch. *n. 17.* Pont. *nu. 6.* qui tamen dicunt id intelligendum, dum excessus est in conditione, & forma substantiali, non verò, dum est in conditione & forma tantum accidentali, ita ut tunc contractus non vitietur. Sic v. g. dum mandatum habet, ut contrahatur matrimonium servatâ formâ Trident. non exinde vitietur contractus, si denunciations omittantur, eò quòd hæc postulata credi possint eo solummodo & formâ, quo de jure communi requiruntur.

7. Resp. septimò, Si consensus principalis revocatus est tempore, quo procurator contrahit, etsi revocatio ei ignota, matrimonium est nullum, quia deficit consensus contrahentis, quem Ecclesia vel Respublica supplere non potest, sicut potest in aliis contractibus politicis, qui validè fiunt etiam per procuratorem revocatum, dum revocatio nec parri, nec procuratori nota est. *L. si mandatum. ff. mandati.* Proceditque id ipsum, etiam si jurasses,

te nunquam revocaturum mandatum. Castrop. *cit. p. 9. n. 2.* sed & sufficit revocatio tacita, v. g. si post datum mandatum contrahendi cum Titia celebres sponsalia, vel des mandatum contrahendi cum Cajjo. Castrop. *l. c.* citatis Covar. *p. 2. de sponsal. c. 4. n. 11.* Sanch. *l. c. d. 11. n. 20.* Gutt. *cit. c. 43. n. 28.* &c. De cætero, si tempore, quo procurator contrahit, consentias; tamen si medio tempore post datum mandatum dissentias, matrimonium erit validum; quia mandatum firmum cum consensu persistit, Sanch. *n. 11.* Castrop. *l. c.* Gutt. *n. 15.* sic quoque si tempore, quo mandatum dedisti, fide consentisti, & dein tempore, quo contraxit procurator verè consentis valere matrimonium, tenent Sanch. *n. 13.* Gutt. *l. c.* Henric. *L. 11. de matr. c. 2. n. 2.* Negat è contra Castrop. *cit. n. 2.* cum Cönninck. *d. 24. du. 9. n. 72.* eò quòd constitutio procuratoris primæ: quæ fuerit nulla ob simulationem tuam, non possit solo consensu interno revalidari, sed opus sit novo legitimo expresso consensu constitui. Illud certum est, non requiri, ut tempore, quo procurator contrahit, actu consentias, sed sufficere, ut tunc non dissentias; quia in vîprioris consensus tui non revocati, quo procuratorem constituisti, fit matrimonium, tamen si dormias, vel ad alia negotia sis distractus, Castrop. Sanch. Cönn. *ll. cit.* qui & inde contra Pont. *l. 2. c. 15. n. 14.* inferunt, valere adhuc matrimonium, etsi eo tempore, quo contrahit procurator, incidaris in maniam; eò quòd licet tu eo tempore contrahere nequeas; uti nec contrahere potes, si eo tempore dormias, possis tamen tunc contrahere per alium; quia non contrahis in virtute consensus tunc expressi, sed in virtute consensus habiti tempore, quo procuratorem constituisti.

Quæst. 101. An pari modo validè, etiam in locis, in quibus receptum est Tridentinum, contrahi possit matrimonium per epistolam.

Resp. affirmativè. Sanch. *d. 12. n. 3.* Molin. *de just. l. 3. d. 254.* Gutt. *c. 45. n. 4.* Castrop. *cit. p. 9. n. 11.* cum communi. Potest enim sic fieri traditio & acceptatio (uti fiebat jure antiquo. *L. mulierem. ff. de ritu nupt.* quod per Trident. mutatum non est) etiam coram eodem Parocho, & testibus iisdem, quod necessarium est, ut testari possint de matrimonio; dum nimirum scribis Titia, te tradere te ei in maritum, eamque in uxorem accipere, ipsaque legens literas tuas coram Parocho. & testibus assimet, te quoque se tradere in uxorem, & traditionem à te sibi factam acceptare. Putant tamen Castrop. & Cönninck. necesse esse, ut Parochus & testes agnoscant tuas literas, & sic sciant, cujus traditionem mulier acceptet.

C A P U T VIII.

De impedimentis matrimonii in genere, & in specie de impedimentis impedientibus tantum.

Quæst. 102. Impedimenta matrimonii quotuplicia, & penes quem sit potestas ea constituendi.

Resp. ad primum: Sunt duplicia, aliqua impedientia tantum, quæ impediunt, quò minus matrimonium licitè, non vero, quò minus validè contrahi possit.

Alia dirimentia sic dicta, non quòd matrimonium validè contractum dirimant, sed quòd impediunt, ut matrimonium nequidem valide contrahi possit.

2. Resp. ad secundum: quantum est ex natura rei, & seclusis constitutionibus ecclesiasticis, omnis Magistratus (adeoque & civilis) qui absolutam habet potestatem ferendi leges, potest impedimenta matrimonii tam dirimentia, quam impedi-

pedi-

pedimenta matrimonii tam dirimentia quam impedimenta decernere. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 1. num. 1. Sanch. l. 7. d. 3. cum D. Thom. in 4. d. 34. q. unic. a. 1. ad 4. Matrimonium siquidem est contractus in natura officium & ad propagationem communitatis institutus; ideoque non minus ac alii contractus subjacet dispositioni Magistratus, quatenus necessarium & expediens judicatur ad bonum Reipublicæ, ut aliquæ personæ inter se hunc contractum celebrare nequeant. His non obstantibus, quod matrimonium fidelium in lege nova sit Sacramentum; cum ratio Sacramenti superveniens contractui matrimoniali eum non immutet, sed tanquam materiam supponat ex naturali & de jure validum, ac proinde is per potestatem humanam immutatus, ita ut qui ante erat validus nunc habeatur pro invalido & nullo, Magistratu sic statuente, desinat esse materia Sacramenti.

3. Resp. ad secundum secundò: Hanc potestatem statuendi impedimenta matrimonii magistratui seculari seu principibus laicis christianis respectu fidelium interdixit, sibi que propriam reservavit Ecclesia, eò quod deceret, postquam matrimonium elevatum est ad dignitatem Sacramenti, Laym. Sanch. LL. cit. Bellarm. l. 1. de mat. c. 32. Castrop. de Sponsal. d. 4. p. 1. num. 1. ut colligitur ex Trid. sess. 24. can. 12. Possunt nihilominus dicti Magistratus decernere plura, quæ matrimonii substantiam nec mutant nec impediunt, sed sunt illi extrinseca & accessoria. V. G. circa dotem, arras, sponsaliciam largitatem, donationem inter conjuges &c. Castrop. l. c. Pont. l. 6. c. 2. num. 5.

4. Dixi primò: Principibus Christianis; siquidem Principibus ethnicis seu infidelibus Ecclesia, utpote nullam habens in eos jurisdictionem, interdici non potest, aut impedire, quo minus illi pro infidelibus sibi subjectis ea statuere possint impedimenta matrimonii, quæ recto regimini communitatis convenire videntur. An verò fideles subjecti Principibus ethnicis ligentur impedimentis juxta eorum leges statuti matrimonio, non convenit inter AA. affirmant Sanch. l. 7. d. 3. à n. 2. Henric. l. 12. c. 1. in princ. eò quod licet matrimonium sit Sacramentum, sit tamen etiam contractus civilis potestati civili subjectus, quam potestatem civilem principum Ethnicorum restringere non potest Ecclesia. Negant è contra Laym. l. c. n. 3. Castrop. n. 3. Covar. 4. decret. p. 2. c. 6. §. 1. Pont. à n. 3. Hurtad. de mat. d. 12. diff. 2. num. 7. &c. eò quod contractus matrimonialis non sit purè civilis, quia est Sacramentum; & non excedat potestatem Ecclesiæ omnes ubique degentes Christianos eximere legibus Ethnicorum, & solis ecclesiasticis subicere quò ad matrimonii validitatem & invaliditatem; cum illius plurimum intersit ob Sacramenti dignitatem hæc in re servare uniformitatem inter Christianos, adeoque credendum sit, defacto id fecisse Ecclesiam.

5. Dixi secundò: Principibus Christianis respectu fidelium; nam neque hi impediuntur ea statuere pro infidelibus sibi subjectis; etsi horum matrimonia non sint Sacramentum, sed contractus merè civiles, adeoque uti hi principes potestatem habent condendi leges irritantes alios contractus civiles, sic etiam procedere possunt & statuere circa contractum matrimoniale.

6. Resp. ad secundum tertio: Potestas illa ecclesiastica statuendi istiusmodi impedimenta (in R. P. Lent. Jur. Can. Tomus IV.

tellige dirimentia) est penes summum Pontificem, & de facto ei soli reservata. Laym. n. 4. Covar. Pont. LL. cit. Castrop. n. 2. Sanch. l. 7. d. 1. eò quod cum constitutio hæc impedimentorum sit res gravissima, merito à prima sede & supremo Ecclesiæ capite ac Principe provenire debeat, constatque hoc ipsum ex continua praxi Ecclesiæ; quidquid sit de eo, num de cætero Episcopis pro suis diocesisbus competat ea potestas ex vi muneris, ut docent Covar. Sanch. Pont. Hurtad. LL. cit. contrarium tenente Suar. Tom. 5. de censur. d. 7. §. 4. n. 5. Cón. d. 30. du. 1. num. 3. & 8. Hæc impedimenta non nisi generalibus canonibus à summo Pontifice aut generali Concilio ejus auctoritate confirmato decerni possunt, & tamen si Papa per particularem sententiam possit hic & nunc ex justa causa matrimonium tanquam invalidè contrahendum interdici quibusdam, non tamen faciliè solere uti hac sua potestate, ait Laym. l. c. n. 4. remittens ad Navar. l. 4. consil. 1. & 2. & consil. 2. de mat. contracto contra interd. Eccles. & Sanch. l. 7. d. 2. num. 12. & Sanch. l. 7. d. 2. num. 12.

Quest. 103. An consuetudine induci possint novæ impedimenta dirimentia, & abrogari jam constituta.

1. **R**esp. affirmative, dum consuetudo legitime inducitur & præscripta esset. Sanch. de mat. l. 7. d. 4. à num. 11. Pont. l. 6. c. 4. num. 6. Cór. d. 30. d. 1. à n. 12. Gasp. Hurt. d. 12. diff. 2. n. 8. Castrop. cit. p. 1. num. 5. remittens ad se tr. 3. de LL. d. 3. de consuet. p. 4. & alii communiter contra gl. in c. 1. de cognat. Spiritu, Jo. And. & Anchar. in c. 5. de consang. & alios ideo censentes non posse nova impedimenta induci consuetudine; quia jam constituta vi illius abrogari nequeunt; jam verò consuetudinem legitime præscriptam habere vim legem humanam abrogandi, & aliam denuo inducendam, non quidem ex se seu natura sua, sed ex consensu Principis tacito seu legati, in eo consistente, quod edita constitutione vel canone generaliter declaret, aut concedat ei vim tollendi legem suam, si legitime inducatur, constat ex toto ut. de consuet. consuetudinem facti autem (quatenus est frequentia operandi liberè eodem modo) non propterea destitui consensu Principis saltem legali, aut etiam hoc ipso irrationabilem & multò minus corruptelam esse, quòd sit contra legem ejus, certum est; cum aliàs nulla consuetudo rationabilis esset, quam agitur contra legem, quam abrogare vult, sed eam solam esse irrationabilem, quæ seclusa lege, quam abrogare vult, continet turpitudinem aliquam vel deformitatem contra legem divinam vel naturalem æquitatem, adeoque etiam ex usu diuturni temporis non evadit digna, quæ pro lege habeatur, Sanch. l. c. num. 14. quæ etiam, si ut talem reproberent jura, corruptela dicitur; adeoque jam eo ipso destitui omni consensu principis etiam legali, vim nullam legis habere potest, quippe quæ esse debet in finem boni communis, nimirum ad perfectionem, non corruptelam Reipublicæ humanæ per bonos & honestos mores gubernandæ. Jam verò non omnis consuetudo, vi ejus abrogarentur impedimenta dirimentia matrimonii jure solùm humano inducitur continet turpitudinem aliquam contra jus divinum aut æquitatem naturalem, adeoque ut talis reprobari nequit; sed nec destituitur consensu tacito seu legali supremi legislatoris ecclesiastici; cum

H

cum

cum is generaliter in *ut. de consuet.* concedit, seu inesse declarat consuetudini vim illam abrogandi leges suas particulares. Unde jam etiam vides, minus recte dici, de facto apud hæreticos jam à centum & pluribus annis liberè ac passim contrahentes matrimonia cum impedimento ecclesiastico aliàs dirimente abrogata esse istiusmodi impedimenta; adeoque jam valida esse illa eorum matrimonia; nam licet postremum teneant Marchant. *Töm. 3. tribun. Sacram. tr. I. tit. 6. concl. 4.* Bonagrat. *in sum. 99. regul. discep. ad Sacram. matrim. n. 67.* & alii apud Wiestn. *tr. de can. imped. mat. p. 1. a. 1. num. 20.* & apud Krimer. *ad 4. decretal. num. 1892.* qui etsi ipse censeat propter rei gravitatem & casuum frequentiam expectandam potius decisionem Apostolicam, quam statuere certum aliquid, existimat tamen, *n. 25.* sententiam illam hæreticorum matrimonii faventem probabilem, tutam, & ratione spectatisque generalibus juris principiis oppositâ potiorem, opposita tamen sententia, quam tenent Less. *in auctar. l. 2. de præscrip. cas. 1.* Gobat. *in Theol. experim. tr. 9. num. 49.* & in *append. 15. à num. 88.* & alii, quos sequitur Krimer. *n. 1897.* verior censetur, ne aliàs hæretici exempti censendi sint ab obedientia Ecclesiæ in omnibus, quibus etiam scienter & cum contemptu potestatis ecclesiasticæ in summo Pontifice ejus legibus & constitutionibus cum pertinacia contraveniunt, quod absurdum est; siquidem consuetudo hæc hæreticorum cum pertinacia & contemptu contraveniens constitutionibus legitimi superioris, quod ipsum repugnat juri naturali ac divino, rationalis esse non potest, aut muniri tacito hujus legislatoris contempti consensu. Et quomodo illa hæreticorum consuetudo dici poterit legitime præscripta, dum non tantum irrationabiliter & pessima fide per homines, qui violatâ datâ Deo & Ecclesiæ fide per meram turpissimam vitæ licentiam, tum exemplo, tum verbo facile alios in sui sequelam & contemptum Ecclesiæ ac legum ejus perduxerunt; verum etiam dum nunquam fuerit possessionis aut quasi possessionis pacificæ, tot reclamationibus & pænis in eos à legislatore ecclesiastico vibratis interrupta.

Quæst. 104. quæ & quotuplicia sint impedimenta impedientia tantum, & num omnia adhuc sint in usu.

1. R Esp. ad primum; Alia sunt seu procedunt ex crimine sequentibus versiculis comprehensa:

Incestus, raptus Sponsaræ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors presbyteralis;
Vel si paniteat solenniter, aut monialem
Accipiat; prohibent hæc matrimonium sociandum.

Alia procedunt non ex crimine, & sunt sequentia:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Atque catechismus, Sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt facta teneri.

2. R Esp. ad secundum: Tametsi impedimenta illa orta non ex delicto hodie adhuc sint in usu, excepto fortè catechismo, de quo paulò post; impedimenta illa omnia orta ex crimine, quatenus omni matrimonio, seu matrimonio cum quocunque interdichant sub gravi peccato, sunt consuetudine abrogata. Nav. *c. 22. num. 75.*

*Et 87. Henriq. l. 12. c. 2. num. 1. in commentar. Less. l. 4. c. 3. num. 68. Sanch. l. 7. d. 17. num. 8. Castrop. l. c. p. 2. §. 2. num. 23. Ponc. l. 7. c. 14. Laym. l. c. c. 15. num. 2. Perez de mat. d. 23. secti. 8. Gobal. l. c. tr. 9. num. 7. cum communi ore contra Rebell. l. 3. de imped. mat. q. 18. in fine. cui favere videtur Toler. l. 7. c. 19. liquidem passim videntibus, & non contradicentibus Episcopis aliisque ordinariis, his impedimentis obnoxii contrahunt matrimonia, nulla dispensatione petita; quòd si tamen quis majoris securitatis gratiâ dispensari secum in hoc desideret, potest recurrere ad Episcopum, qui spectato jure in hoc dispensare poterit, Laym. Castrop. Less. Sanch. *LL. cit. Nap. l. 4. consl. 9. num. 5. de consang.* Unde jam etiam, quia in usu non sunt amplius, in iis explicandis non immoror, vide super his Castrop. *l. c. §. 2. Laym. cit. c. 5. Krimer. à num. 1924.**

Quæst. 105. Quæ sint impedimenta dirimentia, & quam obligationem inducant.

1. R Esp. ad primum; Jure novo Tridentini statuuntur comprehensa sequentibus versiculis:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Culius disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas.

Si sis affinis, si forte, coire nequibus.

Si parochi & duplicis desit presentia testis,
Raptaque sic mulier, nec parti reddita turo.

hæc socianda vetant connubia, facta retrahant.

2. R Esp. ad secundum: Peccat graviter, qui ligatus aliquo horum impedimento, attentat seu vult contrahere, seu de facto contrahit matrimonium; quia in re gravi agit contra præceptum Ecclesiæ, est communis. Laym. *l. c. p. 4. c. 1. num. 5.* Porro peccat contra illam virtutem, cujus intuitu statutum impedimentum; sic committitur peccatum injustitiæ, dum impedimentum est erroris, conditionis, raptus, vis; quia hæc statuta, ne contrahens deceptus patiarur injuriam. Idem est, si impedimentum est ligamen vel carentia parochi; cum eo enim contrahens facit injuriam etiam propriæ conjugii; sic peccatur contra justitiam vindicativam, dum est impedimentum criminis; contra pietatem, si est affinitatis vel consanguinitatis contra religionem, si impedimentum est votum vel disparitas cultus. Peccati insuper, cum quocunque demum impedimento contrahatur peccato sacrilegii adversus Sacramentum matrimonii, censent Castrop. *cit. d. 4. p. 3. num. 3.* Laym. *l. c. num. 6.* Cönnick. *d. 30. du. 2. concl. 4. &c.* eò quòd sic contrahens abutatur nomine & ritibus Sacramenti ad simulandam suam nequitiam, simulatione hæc consistente in eo, quòd apparenter materiam & formam matrimonii opponis, intendisque matrimonium contrahere, cum tamen non contrahis illud. Negant tamen è contra Sanch. *l. 7. d. 5. num. 1.* Hurt. *d. 12. difficul. 3. num. 11.* eò quòd stante impedimento, non apponatur materia & forma Sacramenti, cui fiat injuria.

3. Ex dictis sequi videtur, quòd in confessione exprimendum, cum quo impedimento contractum matrimonium, dum diversarum virtutum, à quibus hoc peccatum desumit specificationem, intuitu

inevitum est statutum impedimentum; quod ad copulam ipsam autem habitum ab iis, qui cum impedimento contraxerunt, tunc tantum habere eam malitiam à fornicatione distinctam, quando contractus matrimonii præcipue prohibetur propter indecentiam, quæ in ea copula reperitur, V. G. habita inter affines vel consanguineos, aut etiam inter ligatos voto, aut disparis cultûs; non verò, quando contractus matrimonii prohibetur, non tam ob indecentiam copulæ, sed ob aliam rationem. V. G. in pœnam criminis, in favorem personæ liberæ, ita quod ad copulam tradunt Sanch. d. 5. num. 7. Cón. num. 21. Castrop. n. 5. Hurt. l. c. num. 14.

Quest. 106. Quid importet impedimentum catechismi, & num illud adhuc hodie daret.

I. Resp. ad primum: Contrahitur hoc impedimentum ab eo, qui in Catechismo seu instructione & professione fidei facta ante Baptismum nomine baptizandi respondet Sacerdoti interroganti, ut habetur c. 2. de cognat. Spirit. in 6. impeditque matrimonium illius cum persona illa baptizanda, etsi cum ea contractum valeat, si respondens ille non sit verus Patrinus impediensque olim in iis gradibus, in quibus cognatio spiritualis. Illud etiam contrahi, etsi per accidens subsequatur catechismus baptismum ob urgentem aliquam causam domi factum, censent Covar. 2. p. decret. c. 6. §. 4. n. 11. Sanch. l. 7. d. 10. n. 7. & alii contra Sorum in 4. d. 37. q. unic. a. 1.

2. Resp. ad secundum: Abrogatum non esse hoc impedimentum per Triid. sess. 24. c. 2. de reform. sed restrictum ad primum gradum, sicut cognatio orta ex Baptismo, censent Cuchus l. 5. inst. mor. tit. 12. num. 17. Lancellot. Inst. juris can. l. 2. tit. de v. p. cognat. per catechif. Tolet. l. 7. c. 14. &c. eò quod omnis correctio juris sit viranda, quod ad fieri potest; adeoque esto, quod Concilium omnem aliam cognationem abstulerit præter proveniente[m] ex Baptismo intelligi debet, abstulisse omnem aliam cognationem spirituales dirimentem, non impedientem tantum. E contra penitus abrogatum esse hoc impedimentum impediens, censent cum communione Sanch. l. 7. d. 10. num. 11. Gutt. de mat. c. 84. n. 6. Reginald. l. 31. num. 190. Rebell. de obligat. just. 2. p. l. 18. num. 20. Castrop. n. 9. &c. eò quod Concilium dixerit, impedimentum cognationis spiritualis solum extendi debere ad levantem baptizatum de sacro fonte ejusque patrem ac matrem, omnibus inter alias personas hujus spiritualis cognationis impedimentis sublatis; omnis autem negativa universalis negant omne impedimentum, de impedimento etiam impediens tantum cognationis spiritualis sit accipienda. Occasione cujus monent Sanch. Castrop. Gutt. & alii parochum obligatum annotare nomina patrino- rum, qui baptizatum levarunt de sacro fonte, si solum professores fidei fuerunt, seu Catechismo solum astiterunt, debere id exprimere; quia ex primo munere contrahunt impedimentum dirimens, ex altero solum impediens vel nullum.

Quest. 107. Sponsalia quid impedimenti importent.

Resp. Sponsalia valida, pura, non dissoluta jure naturæ impediunt matrimonium contrahendum cum alia; cum sit contra fidelitatem & justitiam, rem uni promissam, eo invito, tradere R. P. Leur. Jur. Can. Tomus IV.

alteri. Dixi: *Sponsalia pura*: nam pendente conditione, sub qua prius celebravit Sponsalia cum alia, impeditur quidem contrahere, & illicitè contrahit matrimonium cum alia, non tamen peccat contra obligationem ducendi priorem Sponsam, sed solum contra obligationem expectandi eventum conditionis. Porro non nascitur hoc impedimentum ex Sponsalibus contractis post & contra priora Sponsalia, etiam his ritè dissolutis; quia Sponsalia illa posteriora sunt de jure naturæ nulla (nisi fortè relata in tempus, quo priora forent dissoluta) quod autem nullum est etiam jure naturæ, tractu temporis non convalescit. E contra probabiliter hoc impedimentum adhuc afficit Sponsam in casu, quo contra priora Sponsalia inito matrimonio, eo rursus soluto, evadit liber, eò quod priora Sponsalia per matrimonium cum alia initum cum injuria prioris Sponsæ non sint omnino dissoluta ex parte Sponsi, sed tantum erant suspensa, ideoque manet primæ Sponsæ obligatus naturaliter ad servandam illi fidem sublato impedimento, nimirum soluto dicto matrimonio. De cætero in hoc impedimento nequit dispensare Episcopus; præterquam enim, quod in lege lata à Pontifice (qualis est in c. ex literis. it. 2. h. t.) inferior dispensare nequeat, ex Sponsalibus jus est acquisitum tertio; in eo autem jure, ut patet in testamentis, donationibus, dispensare nequit Episcopus; potest autem ex rationabili causa solus Pontifex; ita Sotus in 4. d. 37. q. unic. a. 1. concl. 2. Castrop. n. 11. Sanch. l. 1. de mat. d. 61. &c.

Quest. 108. Quid observandum circa impedimentum voti.

I. Resp. primò: Nomine hujus impedimenti venit votum simplex non nubendi, quippe directè oppositum matrimonio, votum ordines suscipiendi vel religionem ingrediendi; quia sunt status cum matrimonio non comparibiles. Item votum absolutum servandi castitatem (intellige, extra religionem; cum votum simplex castitatis, quod post biennium novitatus emittitur in Societate non tantum sit impediens, sed & dirimens matrimonium) quo corpus voventis absolutè deo consecratur, adeoque alteri tradi non potest. Quodlibet ex his votis jure naturali ac divino matrimonium impedit, juxta c. consult. c. veniens. c. rursus, qui clerici vel vovent. c. unic. de voto in 6. Nec debent impedire matrimonium primò, etsi vehementibus stimulis carnis urgearis, ut cum communi Sanch. l. 7. d. 11. à n. 12. Ponc. l. 6. c. 12. num. 2. Castrop. cit. §. 1. num. 12. &c. eò quod ob statum religionis, ordinum & calibatus excellentiam assequendam ea difficultas meritò superari debeat, quin & possit ab adjuto divinæ gratiæ, adhibitis oratione, jejuniis aliisque pœnitentiæ operibus. Nec secundò, licet sint conditionata vel dilata, seu respicientia tempus futurum. V. G. si beneficium obtinero, postquam studia absolvero &c. eò quod licet eorum obligatio perfecta non sit, quousque conditio vel tempus adveniat, obligent tamen voventem, ne se incapacem & inhabilem reddat ad eorum executionem, ut fieret contrahendum matrimonium. Sanch. n. 7. Ponc. n. 1. Gutt. c. 85. n. 3. Castrop. n. 12. Neque tertio non impediunt adhuc matrimonium contrahere, etiam cum animo illud non consummandi, sed ante consummationem ingrediendi religionem, vel (intellige, cum licentia conjugis) suscipiendi Ordines, ut Castrop. n. 12. contra Rebell. de oblig. just. p. 2. l. 3. c. 17.

3. c. 17. an. 2. Ponc. n. 4. § 5. eò quòd (quæ est ratio horum AA.) licet contractus matrimonii seclula consummatione non impediant ingressum religionis, susceptionem ordinum, cælibatum, contrahendo tamen matrimonium conjiciatur quis ingrave periculum delistendi ab illa religionis ingrediendæ intentione, ratione cujus periculi scilicet contractus matrimonialis ille est illicitus, etiam dum alteri conjugii ista intentio manifestatur; si verò cum eo contrahis non manifestata & illa intentione, contractus aliunde est illicitus, nimirum quia alter per hoc decipitur, & irrogatur ei injuriæ; esto enim, habeas bimestre ad deliberandum de ingressu religionis, neuterque conjugum possit alterum contrahendo matrimonium obligare, ne ad religionem transeat, si Deus inspiraverit, de facto tamen obligat, ne secum contrahatur animo firmo ingrediendi religionem, quin is animus ei manifestetur; dum enim communis modus contrahendi est animo consummandi matrimonium, adeoque sic contrahere præsumeris, alterque aliàs tecum non contraheret, decipitur & patitur injuriam, si contrahas cum eo contra communem hunc modum, nempe cum firmo animo non consummandi, & animum hunc tuum ei non manifestasses. Neque quartò, si post tale votum deflorasses virginem absque promissione matrimonii & ipsa liberè consentiente; eò quòd nulla ei irrogata injuria, cujus reparatione deobligari posset ab executione voti. Sanch. l. 7. d. 14. n. 11. Ponc. l. 6. d. 12. num. 6. Castrop. n. 15. Valq. de restit. c. 3. §. 2. du. 6. n. 21. Idem est si eam vi, dolo aut fraude violasti, quia non teneris præcisè eam ducere, sed solum damnum refarcire dotando, ut æquè bene nubere valeat, ut docent Sanch. n. 12. Per. Navar. de rest. c. 3. n. 423. Less. l. c. n. 10. secus est, si eam nolentem contentari dotatione, teneris ducere. Item idem est, seu manes obligatus voto non nubendi exequendo, si eam consciam tui voti deflorasti sub promissione conjugii; eò quòd, cum promissio illa tua nulla fuerit, idque cognoverit virgo, censetur gratis tibi prostituisse corpus suum; secus, si ea ignara voti tui; tunc enim teneris eam ducere suspensò voto tuo; eò quòd obligatio justitiæ superveniens, orta ex usu corporis virginis sub hac conditione eam ducendi tibi concessò prævaleat promissioni castitatis deo factæ; sicut, si post votum dandi eleemosynam subriperes alienum, prius deberes satisfacere huic debito quàm voto, & licet illi damno virgini illato posses satisfacere dotis augmento, non inde liberaberis ab ea ducenda;

cum ei vi contractus non pecuniam, sed matrimonium debeas; & quoties alicui in specie debetur quid, id præstandum est, nec sufficit æquivalens dare, creditore non consentiente seu contento. De cætero, ut dictæ obligationi justitiæ satisfacias, debere te prius petere dispensationem, quæ necessariò concedenda sit; ait Castrop.

2. Resp. secundò: Quòd si talis vovens circa dispensationem de facto illicitè contraxerit matrimonium, si votum fuit de non contrahendo matrimonio factum amore castitatis, adeoque de non contrahendo simpliciter & perfectè, id est, contrahendo & consummando, tenetur adhuc ad non petendum debitum; quia quòd ad eam partem potest servari. Castrop. num. 18. negat tamen hoc ipsum cum aliis Krimer. n. 1969. eò quòd femel violato hoc voto non nubendi, seu vitam cælibem ducendi, ejus executio non sit amplius possibilis; concedunt tamen cum Castrop. id procedere in voto simplici castitatis; si verò votum fuit de ingredenda religione, tenetur illud exequi ante consummationem, nisi fortè in casu defloratæ virginis sub promissione conjugii ei non fuisset plenè satisfactum per solum contractum matrimonii; si denique fuit de suscipiendo Ordine, cessat omnino, etiam non consummato matrimonio, ita ut possit petere & reddere debitum, cum non possis illud exequi sine licentia conjugis juxta *Extrav. antiquæ de voto*. Porò citea hoc impedimentum voti notandum, per votum ingrediendi religionem emissum post Sponsalia valida creati impedimentum contrahendi matrimonium, etiam cum Sponsa, & manere obligationem votum illud implendi in sententia illorum, qui censent priora Sponsalia absolutè, etiam ex parte voventis, dissolvi per tale votum; secus est in sententia illorum, qui censent non dissolvi per illud Sponsalia dicta ex parte voventis; quia prævaleret tunc prior obligatio justitiæ de ea ducenda, cui promissum matrimonium, & votum illud subsequens nullum est; et si autem votum illud non sit impedimentum impediens matrimonium cum dicta Sponsa, est tamen tale, seu redditur vi illius matrimonium illicitum cum alia. Idem est de voto castitatis emissò post Sponsalia valida, adeoque in præjudicium alterius.

Quòd autem spectat ad reliqua duo impedimenta, impedientia, quæ non oriuntur ex crimine, nempe Ecclesiæ veritum & tempus feriarum, de iis dicitur inferius speciali titulo.

C A P U T IX.

De impedimentis dirimentibus in specie.

§. I. De impedimento publicæ honestatis.

Quest. 109. Quid sit impedimentum publicæ honestatis, & quo iure inducitur.

1. **R**esp. ad primum: Est propinquitas seu affinitas quædam inter Sponsum & consanguineos Sponsæ, & vice versa inter consanguineos sponsi & Sponsam, orrum habens ex Sponsa-

libus de futuro & matrimonio rato tantum, vi cujus neuter Sponsorum matrimonium contrahere potest cum consanguineis alterius. Dicitur primò: *propinquitas*; quia per Sponsalia, quæ sunt veluti inchoatio matrimonii, & per ipsum matrimonium ratum quilibet Sponsorum propinquat seu accedit ad fines sanguinis alterius Sponsorum, inchoando quasi cum ejus consanguineis affinitatem, quæ con-

furgit

surgit contractio matrimonio. Dicitur secundo: inter consanguineos: Non enim contrahitur hoc impedimentum à Sponsa cum affinis Sponsi quàm talibus. Sanch. d. 68. num. 3. nomine consanguineorum autem veniunt hic quoque illegitimi spurii. Corrad. pr. dispens. L. 7. c. 1. Dicitur tertio: Inter sponsum & consanguineos sponsa: Non enim contrahitur inter consanguineos Sponsi & consanguineos Sponsæ; nam consanguinei Sponsi & consanguinei Sponsæ licet & validè contrahunt inter se matrimonium, ut expressè c. super eo. de consanguinit. Hinc Titius frater Caji potest habere in uxorem sororem uxoris fratris Caji. Vocatur autem impedimentum justitiæ seu publicæ honestatis; quia æquum ac consonum est honestati, ac decens ob dictam inchoationem matrimonii cum Sponsa non contrahere cum ejus consanguineis.

2. Resp. ad secundum: Non est juris naturalis, sed solo jure ecclesiastico inductum, ut constat & fatentur omnes, teste Castrop. de matr. d. 4. p. 10. n. Constituitur autem c. juvenis. c. ad audientiam. c. sponfam. h. r. c. duo pueri. de despon. impub. c. unice. eod. in 6. Item à Trident. Sess. 24. c. 3. de reform.

Quæst. 110. Ad quem gradum hoc impedimentum olim diremerit, & modò dirimat matrimonium.

1. Resp. ad primum: Jure antiquo extendebat se hoc impedimentum, tam ortum ex sponsalibus, quàm ex matrimonio rato usque ad quartum gradum inclusive; textus enim loquentes de hoc impedimento, etsi gradum hunc non expriment, dicunt tamen omnes extendi ad consanguineos, consanguinei autem omnes, & non ultra dicuntur post Innoc. 3. in c. non debet. de consanguinit. constitui intra quartum gradum.

2. Resp. ad secundum: Hodiedum jure novo Trident. ortum ex sponsalibus dirimit tantùm ad gradum primum dicente Concilio l. c. justitiæ publicæ impedimentum, ubi sponsalia quacunque ratione valida non erunt, S. Synodus omnino tollit; ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedunt; quoniam in ulterioribus gradibus jam non potest ejusmodi prohibitio sine dispendio observari. Ortum vero ex matrimonio rato adhuc hodie dum dirimit ad quartum gradum inclusive. Quamvis enim Nav. in man. c. 22. num. 58. Covarr. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 2. num. 2. alique graves AA. censuerint, restrictionem à Concilio factam non solum de sponsalibus, sed & de matrimonio intelligendam (quæ sententia, ut Castrop. cit. p. 10. num. 5. probabilis esse poterat ante declarationem Pii V. editam Anno 1568. in Bulla incipiente ad Romanam) modò tamen post dictam declarationem id nullatenus sustinendum, dicente sive Pontifice in dicta Bulla: *Authoritate Apostolica tenore presentium declaramus & definimus, decretum Concilii hujusmodi omnino intelligendum esse & procedere in sponsalibus de futuro duntaxat; non autem in matrimonio contracto; sed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis casibus & gradibus, in quibus de jure veteri ante prædictum Concilium introductum erat.* Atque ita notant Sanch. L. 7. d. 70. num. 5. Nav. loc. cit. num. 57. Castrop. num. 5. decisumque esse à S. Congregat. referunt Farin. & Barbof. ad cit. c. 3. Concilii.

Quæst. 111. An & qualiter oriatur hoc

impedimentum ex sponsalibus vel etiam matrimonio invalidis.

1. Resp. ad primum primò: Non oriebatnr etiam olim, seu spectato jure communi decretalium hoc impedimentum ex sponsalibus irritis, v. g. ex defectu consensûs, contractis ex errore personæ, vel sine sufficiente deliberatione, vel ex metu. Castrop. loc. cit. num. 3. Item non oriebatnr ex Sponsalibus irritis, quia contracta in præjudicium priorum Sponsalium validorum, v. g. dum post contracta valida cum Anna, illis non dissolutis contrahitur cum sorore Annæ. Uti hæc expressè decisa habentur c. unice. h. r. in 6. De cætero eodem jure communi contrahatur hoc impedimentum ex Sponsalibus ex quocunque alio capite irritis, ut pariter deciditur cit. c. unice, & constat ex c. ad audientiam. h. r. ubi licet sermo sit de sponsalibus irritis ob impedimentum consanguinitatis; idem tamen erat de irritis ex quocunque alio impedimento juris positivi; eò quòd satis videbatur, quòd Sponsalia de cætero valida essent de jure naturali, & tenerent ratione consensûs, dum SS. Canones inducendo hoc impedimentum magis attendebant ad factum quàm jus, quia communiter estimabatur inhonestum esse, ut quis Sponfam sui consanguinei habeat in uxorem; adeoque etiam mirum non est, quòd in casu hoc præstabat impedimentum, quòd de jure non sortitur effectum. Pirh. h. r. num. 34. citatis Gl. in cit. c. ad v. habere. Abb. ibid. num. 7. Extendebatur hoc impedimentum ortum ex Sponsalibus invalidis non secus ac ortum ex validis ad quartum gradum. Pirh. loc. cit. Castrop. loc. cit. num. 4. Arg. c. sponfam h. r.

2. Resp. ad primum secundò: Modò, seu jure novo Trid. non oritur hoc impedimentum ex Sponsalibus de futuro invalidis. Laym. cit. c. 9. num. 4. Castrop. num. 7. dum expressè cit. c. 4. Concilium ait: *Publicæ honestatis impedimentum, quacunque ratione valida non fuerunt, S. Synodus omnino illud tollit.* Proceditque id ipsum non tantùm, ubi Sponsalia nulla ex defectu publico, & noto, ut volunt Sanch. L. 7. d. 68. à num. 14. Pont. L. 7. c. 35. num. 10. Henriq. L. 12. c. 10. &c. eò quòd dicta dedecentia, quæ est in eo, quòd quis ducat in uxorem consanguineam in primo gradu illius, qua cum Sponsalia contraxerat, sit semper, quoties publicè constat Sponsalia fuisse valida (potius dicere debebant hi AA. publicè habita pro validis) etsi de factò seu re ipsa irrita; adeoque dum Concilium dicit, non contrahi impedimentum hoc ex Sponsalibus, quæ quacunque ratione valida non sunt, id sic intelligendum: quæ quacunque ratione, quæ cognoscitur & scitur, valida non sunt. Verùm etiam, ut probabilius docent Pirh. h. r. num. 39. Castrop. cit. num. 7. citatis Rebell. L. 3. g. 17. Hurtad. d. 21. diff. 1. num. 4. Cönnick. d. 32. d. 5. num. 69. Nav. loc. cit. num. 57. Ledesma, & alii, ubi defectus irritans Sponsalia est occultus, v. g. defectus consensûs, aliudve impedimentum dirimens omnino occultum; eò quòd Concilium loquens universaliter, sine fundamento restringi non debeat ad Sponsalia publicè invalida; & ne, si spectanda sit tantùm dedecentia publica, quæ apud homines oritur, & non, quæ sufficiat, quæ oritur spectato ipso contractu, dicendum quoque foret, ex sponsali-

bus validis, omnino tamen occultis non oriri impedimentum.

3. Resp. ad secundum: Ex matrimonio irritato aliunde quàm ex defectu consensûs, sicut olim oriebatur hoc impedimentum, & quidem usque ad quartum gradum, ut constat ex *cit. c. unic. h. t. in 6. Castrop. c. p. 10. n. 3.* ita & hodie dum pari modo nascitur ex sponsalibus de præsentem seu matrimonio irritato, non ex defectu consensûs (vel etiam, quia contractum in præjudicium priorum sponsalium de præsentem, seu matrimonii contracti cum alia, ut *Castrop. n. 3. §. neque item*) sed ratione alterius impedimenti, v. g. in specie ex defectu solennitatis, seu quia clandestinè contractum, Ita contra *Sanch. L. 7. d. 30. nu. 13.* asserentem ex matrimonio rato celebrato clandestinè nullum nasci impedimentum. *Pont. L. 7. c. 35. in fine. Hurt. l. c. dist. 2. num. 7. Castrop. l. c. & apud hunc Barbol. Farin. ad Sess. 24. c. 3. Trident. Rebell. in append. testantes sic decilum à S. Congregat. his expressis: Præsupposita declaratione per Constitutionem Pii V. super hoc decreto (scilicet Sess. 24. num. 3.) censuit congregatio oriri impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus per verba de præsentem etiam nulliter contractis omiſſa formâ Trident. Sess. 24. c. 1.*

4. Atque his jam resolves, quid dicendum ad quæſtionem, an sponsalia à pubere contracta cum minore septennio pariant impedimentum publicæ honestatis; nimirum respondendum affirmativè, si major septennio cum puella minore quidem septennio, eidem tamen proxima, in qua malitia supplet ætatem, contraxit sponsalia; quia dicta sponsalia non sunt invalida. Et hic est casus decisus in *c. juvenis, h. t.* ideo enim ibi deciditur contracta sponsalia illa à juvene pubere cum puella septenni peperisse hoc impedimentum publicæ honestatis; quia apparebat puellam illam esse propinquam septennio, & in illa malitiam suppluisse ætatem. Non verò illud natum tantùm ex nisu ad copulam, quo fortè juvenis ille tentavit illam carnaliter cognoscere, Ita *Abb. ad cit. c. juvenis. num. 4. Barbol. num. 3. & 4. & ex illis Pirh. num. 32.*

Quæst. 112. An & qualiter dicatur hoc impedimentum publicæ honestatis ex sponsalibus incertis, vel sub conditione contractis.

1. Resp. ad primum: Non oritur hoc impedimentum ex sponsalibus incertis; ut si quis promiserit se ducturum unam ex filiabus Titii, & illa consenserint, *Sanch. L. 1. de sponsal. d. 26. n. 1. & l. 7. d. 69. num. 1. Pirh. nu. 37. juxta l. unic. h. t. in 6.*

2. Resp. ad secundum: Ex sponsalibus vel etiam matrimonio contractis sub conditione de futuro impedimentum hoc non oriebatur olim ante eventum conditionis. *Castrop. num. 3.* sed nec modò oritur ante impletam conditionem; quia, cum conditio suspendat consensum usque ad eventum conditionis, efficit, ne sponsalia vel matrimonium ante illius adventum effectum habeant, seu sint valida, nimirum ex defectu consensûs; adeoque cum Trident. dicat; ex quacunque ratione non sint valida, non causare hoc impedimentum, illud non causabunt, *Castrop. Pirh. ll. cit.* Atque ita si quis contraxerit sponsalia de præsentem

seu matrimonium cum sorore illius, cum qua contraxerat antecederet sponsalia conditionata ante eventum conditionis, valebit hoc matrimonium. Si verò contraxerit post illa sponsalia conditionata, alia sponsalia absoluta cum sorore sponsæ istius prioris ante eventum conditionis, nullum ex illis orietur impedimentum, quippe invalidis; quia contracta in præjudicium prioris sponsæ, cum tenebatur expectare eventum conditionis; adeoque poterit, & post eventum conditionis debeat ducere priorem sponsam. *Castrop. cit. nu. 3. in fine.* Impleta verò conditione mox oritur hoc impedimentum; quia jam evadunt sponsalia pura, absoluta, & valida. Et quidem eo ipso absque novo consensu in eorum sententia, qui docent, ea absque novo consensu subsistere. Secus ante novum consensum in eorum sententia, qui tenent novo consensu opus esse. *Castrop. l. cit. Dixi: Ex sponsalibus contractis sub conditione de futuro. Nam si sit conditio de præsentem vel præterito, statim oritur hoc impedimentum, si conditiones veræ sunt. Pirh. l. c. Arg. cit. c. unic. Quòd si etiam conditio sit de futuro impossibili aut turpi, ita, ut non sit contra substantiam matrimonii, statim oritur hoc impedimentum; quia, cum ea conditio habeatur pro non adjecta, sponsalia manent pura & absoluta. *Sanch. cit. d. 69. num. 6. Pirh. num. 38.**

Quæst. 113. An hoc impedimentum oriatur ex sponsalibus validis, sed mutuo consensu, aut alio ex capite dissolutis.

1. Resp. primò: Impedimentum hoc perpetuum esse, & morte alterius sponſorum non cessare, docent *Sanch. L. 7. d. 68. num. 21. Laym. cit. c. 9. num. 3. Pialec. in pr. Episc. p. 2. c. 4. Castrop. cit. p. 10. num. 9. Pont. L. 7. c. 36. nu. 9. Gutt. c. 103. num. 11. Hurtad. d. 21. dist. 1. nu. 5. Rebell. in append. ad l. 4. num. 99. Farin. ad cit. c. 3. Trid. eò quòd illa sponsalia simpliciter ac in perpetuum fuerint valida. Et constat ferè hoc ipsum ex *c. Siquis uxorem. 27. q. 2. ubi: Si quis uxorem desponsaverit vel subarrhaverit, quanquam postmodum praveniente die mortis ejus nequiverit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguineis ejus licet eam accipere in conjugio. & c. seq. ubi: Siquis desponsaverit uxorem, & si praveniente die mortis, sive irruentibus aliis causis, minime eam cognoverit, neque ejus superstes frater, neque ullus de consanguineis (quod tamen modò intellige intra primum gradum) eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore.**

2. Resp. secundò: Durare quoque hoc impedimentum post soluta sponsalia mutuo consensu aliave de causa, tenent *Pialec. Sanch. Laym. ll. cit. Fagn. in c. ad audientiam, h. t. num. 29. ubi ait: ad hanc quæst. an sponsalibus validè ab initio contractis, dein mutuo consensu dissolutis sit sublarum impedimentum justitiæ publicæ honestatis pluries fuisse propositam, ac maturè examinatam, congregationem Cardinalium sub die 6. Julii 1658. censuisse non esse sublatum. Cujus sententiæ unà cum rationibus hinc inde deductis, & recentioribus ejusdem congregationis in hac materia responsis, factâ relatione ad Sanctissimum, Sanctitatis sua die 10. ejusdem mensis prædictam ejusdem Congregationis resolutionem probavit, eandemque*

que iustitiam dubium deinceps non revocari. Item novissimè P. Jacob Wex, in opusc. Canonico Trid. de sponsal. p. 1. §. 6. num. 42, dicens sententiam oppositam catere nunc omni probabilitate ob memoratam Cardinalium declarationem, & num. 38. dicens: jam à tempore Urbani VIII, tres declarationes contrarias illi sententiæ oppositæ emanasse, ac declarationem, quam pro se afferunt AA, oppositæ sententiæ, non fuisse nec esse authenticam. Adducitur etiam pro hac sententia textus, c. accessit. de sponsal. impub. ubi Alexand. III. expressè sic statuit: *Quod si puella impubes completo septennio desponsata, adepta postmodum pubertate, resiliat, adeoque sponsalia dissolvantur, nihilominus remaneat impedimentum publice honestatis.* Unde si in hoc casu per dissentium approbatum à Jure (concedente nimirum potestatem post pubertatem acquiritam resiliendi, & per dissentium dissolvendi sponsalia ante pubertatem contracta) manet adhuc dictum impedimentum, multò magis vi dicti textus censendum, remanere illud dissolutis mutuo consensu sponsalibus contractis inter puberes.

3. Nihilominus sententiam contrariam, nempe non remanere, seu non nasci dictum impedimentum ex sponsalibus dissolutis mutuo consensu aut alia legitima de causa, tenent Castrop. Pont. Gutr. Hurr. Rebell. Farin. *ll. cit.* Dian. p. 3. tr. 4. resol. 223. Barbof. de potestate Episc. alleg. 51. num. 188. alique ab eo citati. Item recentior Vincent, de justis editus primùm anno 1691. l. 2. disp. matrim. c. 8. à num. 52. in quam sententiam multum inclinat Krimer. editus anno 1702. in 4. lib. de creat. à num. 209. referunt quoque S. Congregat. Rebell. Farin. *ll. cit.* uri & Corrad. in praxi dispensat. Apost. l. 8. c. 7. num. 13. ubi is, quòd S. Congreg. consuevit sponsalia de futuro posse quandoque ante contractum matrimonium per verba de præsentem mutuo consensu contrahentium dissolvi, atque, ubi sic dissoluta fuerint, nullum hodie inducere impedimentum; quia eademmet Congregat. censuit dicta sponsalia esse invalida, nimirum quòd ad effectum inducendi hoc impedimentum; eò quòd Concilium quoad hoc requirit sponsalia, non utcumque & secundùm quid, sed simpliciter valida, videlicet ex utriusque consensu, & voluntate constante nec rescissa, nec revocata, qualia sunt non nisi morte alterutrius dissoluta, vel etiam ob aliam necessitatem, quâ coguntur à matrimonio abstinere; non verò quæ libero mutuo consensu solvuntur. In confirmationem quoque hujus sententiæ assertur, quòd in c. Si quis uxorem. & seq. dicatur hoc impedimentum manere ex sponsalibus de futuro etiam non secuto connubio, expresso solùm specificè casu mortis. Unde arguitur non nasci, nisi ex sponsalibus per firmitatem voluntatum in utroque sponso, quæ probatur per eorum constantiam in iis usque ad mortem, aut aliam necessitatem, quâ

coguntur abstinere à matrimonio. Sed neque ex eo, dicant hi AA. quòd hoc impedimentum jure annexum sit sponsalibus eo ipso, quòd valida sint, probari ullo textu, quòd firmiter iisdem annexa, etiam in adventum casus, ubi libera voluntate contrahentium solvuntur, cum nulla juris dispositione annexa sint certis casibus solùm ex suppositione, quâ solutâ seu sublatâ, & illa tolluntur. Neque ex eo, quòd impedimenta semel firmiter nata non possint tolli directè pro libitu contrahentium, sequitur, quòd tolli nequeant indirectè. Quamvis & negent hi AA. suppositum, nimirum impedimentum hoc unquam natum absolutè ex sponsalibus per consensum solùm temporaliter, & transeunter præstitum; cum sponsalia dissoluta mutuo consensu jam non sint valida amplius, sed invalida ex defectu consensûs, prout indicat memorata declaratio S. Congregat.

4. Ad adductam illam ab Adversariis declarationem Cardin. dicunt, de illa non constare authenticè, & aliam à se allatam esse magis credibilem; eò quòd hæc expressè habeatur in impressis declarationibus ad Concil. Trid. Sess. 24. c. 3. de reform. matr. v. quacunque ex ratione. Declarationibus autem Cardinalium, de quibus non constat authenticè (quales sunt, quæ non apparent manu Cardinalis Præfecti & Secretarii subscriptæ, & consueto sigillo obsignatæ) fidem adhibendam non esse, ut cum aliis docet Fagn. in c. quoniam. de constit. num. 59. Ita ferè Krimer, num. 213. ad textum c. accessit. Dicunt ibi non agi de sponsalibus libero mutuo consensu dissolutis, sed à Jure dissolutis, vel unius solùm dissensu approbato à jure; adeoque potius dissolutis ex necessitate factem ex parte alterius.

5. Et hæc quidem valdè probabiliter pro sententia negante illud impedimentum nasci, vel permanere ex sponsalibus liberè mutuo consensu dissolutis. De cætero tamen his non attentis, si declaratio adducta à fautoribus oppositæ sententiæ sit authentica, & ut dicunt hi AA. specialiter à Papa approbata, absque dubio illi deferendum, & conformiter ad mentem Pontificis respondendum contrarium, ut rectè Krimer. An verò sit authentica, aut etiam obtineat vim legis ligantis omnes Christi fideles, esto, nullibi sit juridicè, & solenniter promulgata; prout plures putant, pendet ex eo, quanam conditiones ad hoc requirantur, de quo tractatur *ut. de const.* Illud sanè passim videre licet apud AA. multas circumferri & tribui S. Congregationi declarationes etiam contrarias, quæ authenticæ non sunt, vel etiam dictam vim obligandi universalem non habent, sed merè sunt doctrinales, imò nequidem emanatæ à S. Congreg. Unde etiam multi libri similium declarationum, qui mentito ipsius Congregat. nomine prodierunt, ab eadem S. Congregatione sub dato Roma 29. April. 1621. annuente Gregor. XV. reprobati indici librorum prohibitorum addendi.

§. II. De impedimento disparitatis cultûs.

Quest. 114. Quid hic intelligatur per disparitatem cultûs, & qualiter impediatur matrimonium.

1. Resp. ad primum: Disparitas cultûs supponit hic pro diversitate fidei seu religionis inter contrahentes, qualis est seu censetur inter baptizatum & non baptizatum, etsi hic sit Carechumenus.

2. Resp. ad secundum: Indubitatum est præstare impedimentum matrimonio contrahendo inter dictas personas vel ex jure ipso, quòd dedecet, posita Christi institutione, matrimonium in Sacramentum elevante, ut Christianus contrahat matrimonium, quòd non est Sacramentum, quale vel eo ipso non est, quòd pars altera non sit bapti-

bapti-

baptizata; adeoque incapax Sacramenti; cum matrimonio, utpote unicum indivisibile vinculum efficiens duo extrema, nequeat esse Sacramentum ex parte unius, & non ex parte alterius. Castrop. d. 4. p. 11. n. 1. Præterquam quod hæc disparitas sit impedimentum impediens, seu reddat Christiano graviter prohibitum, adeoque illicitum matrimonium, prout constat ex illo Apostoli 2. ad Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infidelibus*: Prout hunc textum explicat D. Hieron. L. 1. *adversus Jovinianum*. Item ex c. *non oportet*. & c. *cave*. 28. q. 1. junctâ Gl. v. *Christiana*. quæ etiam *ibidem* notat, quod Catechumenus non sit fidelis. Præter hoc, inquam, est impedimentum dirimens, seu dirimat matrimonium contrahendum, & contractum à Christiano cum infideli seu non baptizato, ut constat ex communi usu & consuetudine Ecclesiæ, habentis istiusmodi matrimonia contracta sine dispensatione pro nullis & irritis.

Quest. 115. Quo jure hoc impedimentum dirimat matrimonium.

1. **R**esp. primò: Non dirimit illud jure naturali. Castrop. l. c. Pont. l. 7. c. 47. n. 2. & 3. Gutt. c. 104. n. 1. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 6. §. 11. n. 1. Pirh. b. e. n. 164. cum communi. Siquidem dicta disparitas non repugnat substantiæ seu essentiæ & fini matrimonii; cum stante illa obligari possint conjugales ad cohabitationem, debiti redditionem, & proli educationem. Et licet ordinariè dicta cohabitatio obnoxia gravibus discordiis & periculis, & timenda mala proli educatione; hæc tamen non probant esse talia conjugia irrita, sed tantum illicita plerumque, sive nisi hic & nunc quandoque gravis necessitas & causa excuset. Atque ita non tantum in lege veteri plures fideles contraxerunt matrimonia cum gentilibus & idololatris. Jacob cum filiabus Laban, quæ videntur fuisse idololatras. Joseph cum filia Putipharis. Salomon cum filia Pharaonis. Esther cum Astuero; sed & in lege nova seu Christiana, v. g. Monica cum viro infideli. Clotildis cum Clodeveo; absque eo, quod in Scriptura aut Ecclesia propterea istiusmodi matrimonia habita sint pro concubinato, aut etiam reprehendantur. Sed neque his obstat, quod conjux factus fidelis, privilegio fidei possit ab infideli recedere, ac matrimonium solvere contrahendo aliud; exinde enim non sequitur, prius matrimonium jam eo ipso reddi invalidum seu dirimi; potest siquidem etiam cum infideli remanere, ubi nullum periculum perversionis, aut contumelia creatori imminet, quod non posset, si matrimonium fidelis cum infideli dirimeretur jure naturæ.

2. Resp. secundò: Neque impedimentum hoc jure positivo dirimit matrimonium, Covar. l. c. dicens esse communem Canonistarum, & Theologorum. Castrop. Gutt. Pont. Pirh. l. c. cit. nullus siquidem textus est, ex quo id colligatur. Et licet Christus elevaverit matrimonium in Sacramentum. Quin & licet exinde aliasve ob rationes dicatur jure positivo divino promulgato ab Apostolo prohibitum tale matrimonium fidelis cum infideli; non tamen hinc sequitur aut probatur, Christum inhabitasse quoque fideles ad matrimonium, quod non est Sacramentum.

3. Resp. terriò: Est proinde hoc impedimentum dirimens introductum solo jure ecclesiastico, AA. citati cum communi & certa. Et licet foras sitis (dico foras sitis; quia aliqui hoc deducere volunt ex Concilio Nicæno, Can. 67, & 69, ubi æquè pu-

nitur nubens infideli, quàm habens duas uxores; neque admittitur ad poenitentiam, nisi infidelem relinquat) jus nullum scriptum Pontificium aut Concilii generalis hæc de re extat, est tamen iustificenter inductum consuetudine, & praxi universalis Ecclesiæ profecta traditione Apostolorum, prout colligitur ex c. 28. q. 1. quæ consuetudo vim legis irritantis habet, Sanch. L. 1. d. 71. n. 7. & 8. Castrop. cit. p. 11. n. 3. Pirh. l. c. Inde jam sequitur, posse Papam in hoc dispensare, ut fidelis contrahat matrimonium cum infideli, & quidem licitè, si causa sit gravis, & periculum perversionis tam in conjuge quàm liberis caveatur. Sanch. n. 10. Castrop. n. 4. Gutt. n. 2. Pirh. n. 164.

Quest. 116. An hoc impedimentum extendat se ad matrimonia Catholicorum cum Hæreticis, eaque dirimat.

Resp. negativè D. Thom. in 4. c. 39. q. unic. a. 1. ad 5. Sanch. L. 7. d. 72. Gutt. n. 6. Castrop. n. 6. Laym. L. 5. tr. 10. p. 4. c. 14. n. 2. Pirh. b. t. n. 165. cum communi Theologorum & Juristar, contra Gl. in c. *fin. de condit. appof. v. contr. a substantiam*. Hofst. in c. 1. de *conj. servor. Cæterium n. 157*. Simanch. de *Cathol. instr. c. 40. & 46.* & paucos alios, Arg. c. *decevit. de hæret. in 6.* ubi decretum, uxores, quæ scienter nupterunt hæreticis privandas dote in poenam delicti, & tamen non præcipitur illas separandas à viris; adeoque supponitur matrimonium esse validum. Neque his obstant, quæ in contrarium adduci solent ex Conciliis *Carthag. 3. c. 12.* *Chalced. c. 14.* *Illiberit. c. 11.* *16. 17.* *Agathens. Can. 67.* quæ eodem modo videntur loqui de matrimonio cum Hæreticis, ac de matrimonio cum infidelibus. Nam est, omnia hæc sint authentica, dici potest cum Castrop. l. c. n. 7. antiquis temporibus fuisse matrimonia cum Hæreticis irrita, dicta irritatione contraria consuetudine abrogatâ; præterquam quod nomen *Hæretici*, ut Castrop. l. c. Pont. in *append. ad c. 46. L. 7. c. 1.* Reginald. & alii, sumatur quandoque, & speciatim in *can. 72. sextæ Synod. general. pro infideli*. Sed neque facta contra legem habenda sunt pro infectis, ut habetur *L. non dubium. c. de ll. nisi lex illa irritet.*

Quest. 117. Quo jure illicitum & prohibitum sit matrimonium cum Hæreticis.

1. **R**esp. primò: Prohibitum & illicitum esse jure ecclesiastico constat ex citatis Conciliis, uti & ex c. *oportet. caus. 28. q. 1.* quod desumptum est ex Concil. Agath. c. 25. ubi dicitur; *Non oportet cum Hæreticis commiscere connubia*. Prohibitum quoque esse jure divino positivo, colligunt plures ex citatis verbis Apost. 2. ad Cor. 6. *Nolite jugum ducere cum infideli*, ut videre est apud Cornel. à Lapide, & Toletum in *illum locum*.

2. Resp. secundò: Jure naturæ illicitum est, dum adest periculum perversionis conjugis Catholicæ, vel malæ educationis prolium in hæresi, aut etiam gravium jurgiorum inter conjuges, quæ vix abesse possunt inter tales conjuges diversæ fidei. Pont. l. c. c. 2. *per tot.* Castrop. n. 8. Pirh. n. 165. cum communi & patet. Dum verò probabiliter & prudenter creditur abesse dictum periculum, non repugnat tale conjugium juri naturæ; siquidem lex illa naturæ fundatur in dicto periculo. Castrop. n. 10. Cönnick. d. 31. du. 3. *concl. 3. & du. 26. n. 21.* Pirh. l. c. & AA. communiter. Unde sequitur, quod

quod quoties periculum illud in aliqua provincia communiter cessat, neque cernitur adesse in matrimonio, de quo hic & nunc celebrando tractatur, posse licite sine ulla dispensatione illud iniri; quia in eo casu tam lex ecclesiastica quam naturalis, vetans iniri matrimonium cum hæretico cessat. Castrop. n. 11. Quod autem aliqui AA. Azor. *Tom. 1. Inst. mat. l. 7. c. 11. g. 5.* Sanch. *cit. d. 72. n. 5.* Gutt. *n. 7. Hurt. d. 24. d. 2. in fine &c.* tam generaliter pronuntiant; quod, si in regione aliqua vel regno hæretici & Catholici promiscue habitent, & religionem suam profiteri permittantur, ut in Germania, Polonia &c. licita esse talia conjugia; quia periculum perversionis & iniquæ educationis proles & rixosæ cohabitationis plerumque cessat, id, inquam, non placet; quia non plerumque cessat in iis etiam locis tale periculum, ut constat experientiâ, sed valde frequens est. Et esto, cesset plerumque, ac propterea lex ecclesiastica ibi non videtur obligare; quia tamen sæpe uno alterove casu adest illud periculum, adhuc lex naturalis obligabit ad illud vitandum non contrahendo talia matrimonia, ut rectè Laym. *l. c. n. 2. Pont. l. c. Pirh. n. 166. & Castrop. ipse cit. n. 10.*

3. Quod si etiam in locis, ubi Catholici non permittuntur, securè suam religionem profiteri, aliquibus concedatur hæc securitas à periculo perversionis rectaque prolium educatio adhuc autoritate privata non posse contrahi matrimonium cum hæretico, bene tamen accedente Pontificis dispensatione (quia tunc solum ex obligatione legis ecclesiasticæ abstinendum à tali conjugio) cenlet Castrop. n. 11. quandam autem hæc catholico concedatur securitas, prudentis relinquendum arbitrio examinatæ circumstantiis; & quidem inter magnos Principes sufficientem reputandam securitatem, si fidem dent juramento firmatam, maximè, si dantis fidem inter sit illius observatio, censet Castrop. ex Ponc. *in cit. append. c. 5. à n. 4.* Pari modo, dum dubium est, num hic & nunc adsit tale periculum, siue num sequi possent ista mala & incommoda, ad summum Pontificem, vel etiam ad Episcopum in Germania nostra spectare, rem examinare & contrahendi matrimonii licentiam dare, ait Laym. *l. c. n. 2.*

4. Resp. tertio: Sed neque ita jure naturæ illicitum esse tale matrimonium, etiam stante illo perversionis periculo (modò tamen obfirmato animo non consentiendi in illam perversionem illud celebretur) quin possit in pluribus casibus honestari ac licitum reddi; ut si ex tali matrimonio cum subjectione talis periculi magni fructus sperentur. V. G. multorum A catholicorum conversio, eorum tranquillitas status, & Ecclesiæ catholicæ non leve incrementum, tenet Castrop. n. 12. cum Ponc. *c. 6. n. 7.* quin & Pontificem debere tunc in lege sua ecclesiastica dispensare; cum periculum peccandi subire non ita sit intrinsecè malum, quin ex rationabili causa subiri

possit, ut doceri solet in *tract. de caritate*, & constat exemplis pluribus. V. G. Judithæ exponentis se periculo violandi castitatem. Estheris nubendo Assuero incurrentis periculum deserendi suam religionem. Non tamen videtur id dicendum, dum stante æquali periculo perversionis cum æquali vel etiam majore spe boni alicujus privati inde secuturi; V. G. conversionis alterius conjugis. Unde etiam ait Laym. *l. c.* tunc tandem summum Pontificem dispensativè id permittere posse, si in aliquo casu probabilis spes sit ex istiusmodi matrimonio longè majoris fructus spiritualis secuturi, ob quam incommoda illa permitti possint; quod tamen pererratum esse dicit; cum Seratio *de conjug. Catholic. cum heret. c. 2.* & Becano, *2. 2. c. 9. g. 5. du. 4. respons. 3.*

5. De cætero talibus matrimoniis non obstat, quò minus licite contrahi possint, quòd hæreticus recipiens & administrans Sacramentum matrimonii peccet, utpote obstant effectui gratiæ; non enim Catholicus contrahens cum eo cooperatur ejus iniquitati; cum possit hæreticus cum Dei gratia illud peccatum evitare; uti nec parochus Catholicus assistens tali matrimonio; quia assistit contractui per se licito. Castrop. n. 12. Ponc. *in cit. append. n. 9.* Neque obstat, quòd hæreticus credat matrimonium non esse Sacramentum; cum satis sit, quòd velit celebrare matrimonium, pro ut est ab Ecclesiâ receptum, quamvis ipse ex errore privato contrarium Ecclesiæ censeat; & hac ratione non exponit Catholicum periculo non suscipiendi Sacramentum. Castrop. *cit. n. 11. in fine.*

Quest. 118. An valeat pactum adjectum tali matrimonio Catholici cum Aatholico, ut pars liberorum nasciturorum educetur catholice; V. G. Filia sequendo matrem Catholicam; pars altera educetur in heresi; V. G. Filii sequantur patrem hereticum.

Resp. Tale pactum passim ab AA. censei irritum & impium; cum parentes teneantur omnes proles educare in vera religione, cui obligationi nunquam renunciare possunt. Laym. *l. c. n. 3.* Pirh. *b. 1. n. 167.* Tanner. *d. 8. de mat. q. 4. du. 5. n. 91.* qui tamen addit, & cum eo Pirh. *l. c. Krimer. in 4. decret. n. 1065.* in casu, quo contrahitur matrimonium cum hæretico licite, nimirum dum creditur per hoc multum promovendum bonum publicum, nec tamen spes sit maritum hæreticum permittendum proles omnes in fide Catholica educari &c. non videri illicitum in pactis conjugalibus talem apponere exceptionem, ut pars saltem aliqua liberorum educetur Catholice; salvo tamen semper jure matris Catholicæ, ut etiam ceteros liberos, quantum fieri potest, in vera religione instruere non intermittat.

§. III. De impedimento raptus.

Quest. 119. Quid sit raptus mulierum.

1. Resp. Raptus hic proprie est, quando mulier, cum qua prius nihil actum de matrimonio contrahendo, siue virgo, siue alia mulier, siue vidua, siue conjugata, modò ingenua sit, seu non serva, & honestè, hoc est, non impudicè vivens, libidinis cum ea exercendæ, vel etiam matrimonii contrahendi causâ abducitur per vim illatam fæminæ aut ejus parentibus aliisve, sub quorum potestate est. Ita ferè Pirh. *ad tit. de raptor. & incend. n. 1.* ex Fatim. *in pr. crim. p. 5. v. raptus. q. 145. n. 5. & 2.* Julio Claro. *v. raptus. n. 1.* Unde
R. P. Leur. *Jur. Can. Lib. 17.*

2. Infero primò, non committi raptus, si mulier sui juris & sub nullius potestate constituta sine vi & volens abducatur; rapere enim ex vi nominis importat vim & violentiam; non obstante *l. unic. c. de raptu Virgin.* ubi: incurri pœnas à raptoribus, siue volentibus siue nolentibus virginibus seu aliis mulieribus, tale facinus fuerit perpetratum; cum lex illa nitatur præsumptioni, quòd vis quædam importunis ac dolosis suasionibus sit mulieri illata. Sanch. *l. 7. d. 12. n. 9.* & ex eo Pirh. *n. 4.* Proceditque id ipsum (saltem in ordine, ut ordinaria raptorum pœna non incurratur) importunis precibus seu metu re-

I

verem-

verentialem, citra tamen omnem dolum & fraudem adducta sit, cum tales preces se solis vim non inferant; secus tamen, si dolosis persuasionibus aut fallacibus promissionibus munerum, vel quibuscunque fraudibus circumventa abducatur, quod in dubio praesumitur. Sanch. l. c. n. 10. & 11. Pirh. n. 5. Farin. l. c. n. 131.

3. In foro secundo: Committi raptum; (etsi forte in hoc casu infligenda poena raptori ordinaria mitior) si puella sub parentum potestate constituta, etiam consentiens, ex eorum domo ipsis invitatis abducatur; cum per talem abductionem gravis fiat parentibus injuria, quam puella per suum in abductionem consensum non potest remittere. Sanch. n. 12. Farin. n. 118. Host. in sum. de raptor. n. 1. quod autem abductio fiat insciis parentibus, etsi adhuc sit raptus; quia adhuc deest eorum consensus, quod satis est, ut de injuria queri possint, non est tamen raptus proprie & stricte dictus, ordinaria poena dignus. Sanch. l. c. Farin. n. 121. Pirh. l. c. Laym. L. 5. tit. 10. p. 4. c. 13. n. 2. Navar. L. 5. conf. 3. n. 1. de raptor. Pari modo si constituta sub tutorum vel curatorum (vel etiam, ut addit Pirh. fratrum) custodia abducatur, raptus est, etsi minora poena puniendus. Laym. Pirh. LL. cit. Sanch. n. 14.

4. In foro tertio: Committi raptum, si sola femina dissentiat, nolique de domo parentum abduci, etsi parentes consentiant; cum hi non habeant potestatem exponendi illam ad talem usum, Hurt. Pirh. LL. cit. Sanch. l. c. n. 8. unde patet, duplicem esse raptus speciem, ut D. Thom. 2. 2. q. 154. a. 7. nimirum, si vel vis injusta in abductione puella exerceatur vel in ipsam puellam, vel erga ejus parentes aut tutores.

Infertur quartò: Quod si femina initio consentiens in sui abductionem, & postea invita & repugnans cognoscatur, non committi raptum, sed stuprum; cum in delictis juxta L. divus. ff. ad Leg. Corneli. de Sicar. initium spectetur de contra committi raptum (etsi raptor non incurrat saltem poenam ordinariam raptus; quia is non fuit consummatus, ut AA. mox citandi) si femina ab initio invita abducta fuit, etsi postea liberè consentiat in copulam; quia initium, in quo fuit violentias spectandum. Sanch. l. c. n. 7. Farin. l. c. q. 145. & 134. Pirh. n. 4.

5. In foro quinto: Non esse raptum, si quis per vim à femina extorqueat copulam, non traducendo illam de uno loco ad alium sed neque si praesens abducatur à loco, v. g. de via publica per aliquot solum passus commodioris concubitus gratia, vel de una camera in aliam, sed ubi de domo in domum aliam, sive de loco in locum alium fuit traducta animo abducendi eam ulterius à loco, in quo habitat seu commoratur. Sanch. n. 20. & 21. Farin. q. 145. n. 69. Clarus §. raptus n. 1. Pirh. n. 10. etsi ad locum destinatum non pervenerit.

6. In foro sexto, non esse raptum (saltem qui poenas juris incurrat L. unie. c. de rapt. virgin.) si rapta fuit publica meretrix, Sanch. n. 22. Mascard. de prob. vol. 3. concl. 1253. n. 12. & 13. cum scorta non veniant honestarum foeminarum nomine. Gl. in cit. L. V. virginum. junctà Gl. margin. L. B. & meretrix non censetur vim passa à cognoscente illam, nisi probetur. Secus tamen est, si non tantum desit esse publica meretrix, facta alicujus concubina; sed etiam coeperit ducta poenitentia impurae vitae, honestè vivere. Mascard. l. c. n. 14. Item secus, saltem quò ad incurrendam poenam, si mulier, etsi inhonesta,

esset tamen conjugata, Mascard. n. 15. De caetero benedicit Pirh. n. 11. cum Sanch. n. 37. perinde est in foro conscientiae, quò ad committendum raptum, sive mulier sit meretrix sive honesta, dummodo violenter ex dictis causis abducatur.

7. In foro septimo, non esse raptum (saltem secundum jus canonicum, cui standum, & quod in hoc videtur correxisse jus civile. L. unie. c. de rapt. virg. ubi in hoc casu censetur adhuc committi raptus) dum quis eam, cum qua contraxit vera sponsalia, etiam de futuro tantum, rapit de domo paterna, aut invitatis parentibus. c. cum causa, de raptor. Pirh. n. 7. idque sic statutum à jure canonico in favorem matrimonii, quod dum debet esse liberum, ut cum foemina liberè posset contrahere in domo parentum, etiam impunè à sponso volens abduci poterit invitatis parentibus ad matrimonium promissum exequendum. Pirh. l. c. cum Abb. in cit. c. cum causa. Contrarium tamen dicendum, si quis foeminam, cum qua contraxit vera sponsalia de futuro, invitam & reclamantem educeret de domo paterna ad consummandum eum ea matrimonium. Pirh. l. c. Castrop. d. 4. p. 2. §. 2. num. 8. Azor. p. 3. L. 3. c. 14. q. 3. Idem est, dum quis foeminam, cum qua contraxit matrimonium ratum, volentem tamen, uti jure suo, quod habet ad delibendum de ingressu in religionem spatio duorum mensium, per vim & in vitam rapiat ad consummandum cum ea matrimonium. Azor. q. 4. Pirh. num. 8. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 7. §. 4. num. 11. Item contrarium dicendum, nimirum adhuc committi raptum, si quis foeminam, cum qua quidem tractatum habuisset de matrimonio, ante tamen adhuc vera sponsalia contracta, etiam volentem abduceret invitatis parentibus, ait Pirh. l. c. num. 7. citant Sanch. L. 7. d. 12. num. 15. Castrop. l. c. Videtur tamen etiam ad evitandum raptum sufficere, si legitime tractatum fuerit de contrahendo matrimonio absque eo, quòd sponsalia adhuc contracta, ut indicat satis Laym. cit. c. 13. num. dum ait: si tractatus de matrimonio legitime contrahendo, vel sponsalia antecesserunt; quippe in cit. c. cum causa. simpliciter dicitur: ubi nihil ante de nuptiis agitur; nimirum quod tunc committatur raptus, si invitatis parentibus abducatur.

8. In foro denique, non committi raptum, si quis mulierem non ex causa exercendae cum ea libidinis (quod tamen semper praesumitur, dum mulier est juvenis & apta ad libidinem. Farin. q. 145. num. 78.) aut ad contrahendum cum ea matrimonium, sed ex causa alia. Sanch. num. 17. Clarus §. raptus. num. 1. id etiam procedere videatur, si ex alia causa abductam, postea tamen per accidens cognoscat carnaliter. Uti de contra adhuc committetur raptus, dum mulier invita abducta libidinis cum ea exercenda, aut matrimonii contrahendi causa, etsi dein neutrum attentatum, vel quia raptor non potuit, vel etiam poenitentia ductus abstinuit ab utroque, quia, ut dictum, spectandum est initium & intentio.

Quaest. 120. Quid tam jure civili, quam canonico, tam antiquo, quam novo statutum, quò ad poenas incurrendas à raptoribus mulierum.

R Esp. De hoc dicendum ad tit. 17. L. 5. decret. vide tantisper Pirh. ad dictum tit. §. 1. & 2.

Quaest.

Quest. 121. Quid jure civili, & quid jure canonico antiquo statutum de raptoribus in ordine ad contrahendum matrimonium, cum ea, vel etiam cum aliis.

Resp. Primò: Jure civili non solum prohibetur matrimonium inire cum femina rapta, ut constat ex *c. unic. de rapt. mulier.* Sed etiam irritum est tale matrimonium; idque, etiamsi mulier existens in potestate raptoris liberè consensisset. Ut constat ex *Auth. de raptis mulierib. ibi: tale stare (hoc est, subsistere seu vires habere tanquam validum) etsi rapta voluerit, prohibemus.* item *collat. 9. nov. 144.*

2. Resp. secundò: Jure Canonico antiquo, nimirum, *c. statutum. 27. q. 2.* ubi dicitur: *Si quis Sponsam alterius rapuerit, publica auctoritate multetur, & sine spe conjugii maneat;* statutum, ut raptor sponsæ alienæ contrahat impedimentum, non quidem dirimens, sed impediens contrahendi cum quacunque alia muliere, ut qui alienum matrimonium ausus turbare, merito privetur proprio. Prædictum verò impedimentum non incurritur, si mulier rapta non fuerit desponsata, vel etiam, si contraxerit tantum sponsalia de futuro; nomine enim Sponsæ in odiosis non venit sponsæ de futuro. *Sanch. l. 7. d. 1. 2. n. 45. Castrop. cit. p. 2. §. 2. n. 9. Pirh. ad tit. de raptorib. n. 16.* Sed requiritur, ut actu contraxerit sponsalia per verba de præsentem seu matrimonium; perinde autem est, si fuerit virgo, si corrupta, sive matrimonium illius consummatum, sive ratum tantum; quia jus non distinguit, & in utroque casu fit injuria matrimonio per raptum. *Pirh. l. c.* Item non incurritur, si vir sciens abduci sponsam suam, non renitatur; cum illud impedimentum latum in favorem viri; *Castrop. l. c.* si autem vir renitatur, & sponsa consentiat, contrahit hæc quoque illud impedimentum, ita ut dissoluto matrimonio illo nulli alteri licitè nubere possit. *Castrop.* Item non incurritur, nisi carnalis copula cum rapta sit actu secuta; cum in materia favorabili (qualis est matrimonium) ejus impedimenta sint restringenda. *Pirh. cit. n. 26.* cum *Sanch. n. 46.* De cætero hoc impedimentum impediens, quò minus matrimonium cum ulla alia deinceps contrahi possit, uti & cætera hujusmodi impedimenta orta ex crimine modò consuetudine præscripta sublata sunt.

3. Resp. tertio: Jure canonico antiquo, nempe *c. de puellis. c. si autem. & c. seq. 36. q. 2.* matrimonium cum raptoe absolute erat irritum. Quod tamen jus antiquum alio subsequente jure antiquo correctum, nempe *c. accedens. de raptorib.* ubi: *rapta puella (etiam invita & renitens ab initio, in ipso raptu, ut Host. ibid. v. rapta) legitime contrahet cum raptoe, si prior dissensio transeat postmodum in consensum (expressum vel tacitum, ut Host. ibid. v. consensum) & quod ante displicuit tandem incipiat placere, dummodo ad contrahendum sint legitima persona, hoc est, nullo alio impedimento canonico, puta ætatis, consanguinitatis impedita.*

Quest. 122. Quid circa hoc statutum jure novo Tridentini.

Resp. De eo sic statuit Trident. *sess. 24. c. 6. de reform. matrim. statuit S. Synodus inter raptorem & raptam, quamdiu illa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta a raptoe separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. IV.

in uxorem ducat; & nihilominus raptor ipse & omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, & si clerici fuerint, de proprio gradu decidant teneatur præterea mulierens raptam, sive eam duxerit, sive non, decenter arbitrio Judicis dotare &c. Unde patet, raptum hodiernum esse impedimentum dirimens matrimonium cum rapta, non quidem perpetuum, sed temporale, donec libertati suæ restitatur, & violentia illi illata cesset. Hinc colligenda & circa hæc notanda sequentia.

2. Primò: Incurri hoc impedimentum dirimens vi Tridentini, etiamsi mulier sit corrupta, inhonesta, meretrix; cum Concilium loquatur generaliter de rapiente feminam causâ matrimonii, non attendens qualitatem personæ, sed libertatem matrimonii, quæ etiam deficere potest, licet persona sit inhonesta. *Sanch. l. 3. d. 13. n. 14. Vincent. de Justis. de disp. mar. l. 2. c. 18. n. 40. Krimer. l. c. n. 519.* contra *Beckman. l. de doctrin. juris. v. raptus* dicentem; si meretrix abducta vi, non dici raptum jure canonico.

3. Secundò: Matrimonium adhuc esse nullum, etiamsi rapta constituta in potestate raptoris revera liberè consentiat; cum Concilium exigat ad valorem matrimonii, non tantum liberum consensum raptae in matrimonium, sed & ut plenè sit libera à potestate raptoris, & ab eo separata. *Sanch. l. c. n. 7. Pirh. l. c. n. 19.* cum communi & in hoc correctum est jus antiquum, vi cujus ad validè contrahendum matrimonium non requirebatur, ut puella extra potestatem raptoris constituta consensum præbeat, sed sufficiebat, si etiam sub ejusdem potestate constituta liberè consentiret. *Barbos. ad c. accedens. de raptorib. n. 2.* citatus pluribus.

4. Tertio: non esse matrimonium nullum, quod quis feminam desponsatam sibi per verba de futuro cum ejus consensu abducens è domo parentum, etiam iis invitis, cum ea contrahit coram parochò & testibus, etiamsi rapta non constituatur extra potestatem raptoris, & ab eo separata; cum non sit propriè raptus, si sponsa volens abducatur; & concilium solum irritaverit matrimonium celebratum cum rapta, dum hæc est in potestate raptoris contra voluntatem suam, vel quando rapta ad celebrandum cum ea matrimonium clandestinum. *Pirh. cit. n. 19.* citato *Azor. p. 3. l. 3. c. 14. q. 2.*

5. Quarto, non esse invalidum matrimonium celebratum cum ea, quam quis abduxit etiam invitam, non animo contrahendi cum ea matrimonium, sed solius libidinis explendæ gratiâ, vel ex causa alia, dum femina, etiam necdum constituta extra potestatem raptoris, liberè consentit in matrimonium. Ita probabilius *Sanch. cit. d. 13. n. 3. & 4. Rodriq. Tom. 1. sum. cas. 213. n. 7. Coninck. d. 31. du. 4. Laym. cit. c. 13. in fine. Less. l. 4. c. 3. n. 64. Castrop. l. c. n. 11. Corrad. in pr. disp. Apost. l. 7. c. 6. n. 49. Pirh. n. 22.* contra *Azor. l. c. Sa. v. matrim. n. 9. Veracruz. in append. ad specul. conjug. ubi de raptu. pag. 81. §. hic considerandum &c.* eò quòd decretum illud Concilii sit penale & correctorium juris communis, & quòd Concilium in eo intendat favere libertati matrimonii; ideòque illud attentatum ex raptu reddit irritum, ut ea irritatione coerceat raptorem, videntes se finem suum consequi non posse, adeòque non extendendum ad raptorem ex causâ libidinis. *Castrop. l. c.* Videtur tamen sufficere ad hoc impedimentum, quòd mulier causâ libidinis in principio rapta, dein à raptoe vi detineatur causâ matrimonii cum ea contrahendi; cum illa detentio

ex hoc fine, in quantum constituat abductionem, est raptus causâ matrimonii, Vincent. de Justis *l. c. l. 4. c. 6.* & ex eo Krimer. *l. c. n. 511.*

6. Quinto, venire hic nomine raptoris, non solum illum, qui physice rapit, sed etiam eum, cujus nomine, mandato, & ad ejus petitionem femina rapitur; ita ut matrimonium à mandante, petente cum ea initum, dum est in ejus potestate, sit invalidum, non verò initum cum ea à mandatario. Pirh. *n. 23.* Corrad. *l. c. l. 7. c. 6. n. 51.* Krimer. *n. 518.* Item is, qui rapuit motu proprio feminam, non ut ipse, sed alius cum ea contraheret matrimonium, validè contrahit cum ea liberè consentiente, etsi adhuc constituta sub potestate raptoris. Idem est de eo, qui raptori consilium præbuit; quia pœna illa statuitur raptori, qui rapuit eo fine, ut ipse cum ea matrimonium contrahat, qualis non est ille consiliarius. Pirh. *l. c. Sanch. l. c. n. 6.*

7. Sexto incurri pœnas raptui à Trident. statutas, adeoque & illam inhabilitatem contrahendi cum rapta matrimonium, quia hæc est pœna inter reliquas statuta, etiam si copula cum rapta non sit secuta; quia non punitur hac pœna raptus commissus libidinis causâ, sed factus causâ ineundi matrimonii. Pirh. *n. 24.* Sanch. *n. 8.*

8. Octavo, incurri hoc impedimentum, etsi rapta causâ contrahendi matrimonii nondum sit deducta ad locum destinatum; cum sufficiat, quòd raptor violenter ex dicta causa eam abstraxerit in potestatem suam, utpote per quam violentam abstractionem jam est consummatum delictum raptus, & perfectè irrogata injuria libertati matrimonii. Pirh. *l. c. Sanch. n. 10.* Non tamen incurri, si de uno loco in alium moraliter diversum. V. G. de una camera in aliam abripiatur. Haunold. *de jur. & just. Tom. 6. tr. 2. c. 2. n. 541.*

9. Nondò, incurri etsi femina violenter abducta, dein manens in potestate raptoris, liberè consentiat contrahere matrimonium; secus, si ab initio volens sit abducta, & dein mutata voluntate resistat abductioni. Pirh. *n. 25.* Sanch. *n. 9.*

10. Decimo, non incurri, si solum precibus importunis, vel etiam donis & pecuniâ inducta sit, ut consentiat sui abductioni; nisi fortè preces illæ ob adjunctas minas vel metum reverentialem æquiparentur violentiæ; quia aliàs non est propriè raptus. Sanch. *n. 11.* Pari modo non esse raptum pœnis Tridentini, adeoque dictæ inhabilitati obnoxium, si dolo falsisque promissis abducatur, cum non sit violentia, censent Castrop. *n. 15.* citatis Sanch. *eod. n. 11.* Gutt. *de mat. c. 86. n. 14.* & *15.* Pirh. *num. 26.* non obstante, quòd dolus sufficiat ad pœnas juri civili statutas; eò quòd Trid. solis raptoribus inter reliquas pœnas imponat dictam inhabilitatem, quales propriè non sunt, ubi abest violentia.

11. Undecimo, non incurri, si sponsa de futuro lubens invitis parentibus, tutoribus abducatur. Castrop. *n. 14.* Pirh. *n. 28.* juxta *c. penult. de raptor.* Secus esse, si sponsa de futuro renitens abducatur, eò quòd adhuc lædatur libertas matrimonii, dum vi abducitur, ut matrimonium contrahat, tenent Pirh. *l. c. Castrop. cit. n. 14.* citans Sanch. *d. 13. n. 15.* Gutt. *n. 22.* contra Henriq. *l. 12. de mat. c. 14. n. 4.* & *5.* Less. *l. 4. c. 3. n. 70.* cum quibus sentire videtur Barbof. *ad c. 6. de raptor. n. 4.* citans pro hoc Rebell. *de oblig. just. p. 2. l. 3. q. 12. n. 5.* Farin. *cit. q. 145. n. 88.* Anton. Genueni, *in pract. ecclesiast. q. 6. num. 91.* & alios; ex quibus tamen aliqui id sic limitant; nisi sponsa haberet causam justam resiliendi à sponsalibus.

12. Duodecimo, non incurri hoc impedimentum, dum femina consentiens & volens abducitur, non tantum invitis parentibus, sed etiam iis invitis & renitentibus, ut probabilius docent Sanch. *l. 7. d. 13. n. 13.* Castrop. *l. c. n. 12.* Còninck. *cit. d. 31. du. 4. in fine.* Less. *l. c. du. 9. n. 70.* Reginald. *in foro pœnit. l. 22. n. 31.* contra Henriq. *l. c. Gutt. l. c. n. 17.* Farin. *n. 121.* Tusch. *Tom. 6. v. raptor. concl. 5.* Bonnac. & alios apud Barbof. *in c. 6. de raptor. num. 3.* Laym. *n. 4.* Pirh. *n. 27.* Quàmvis horum posteriorum prior sententiam contrariam dicat non improbabilem, alter valde probabilem; siquidem dictum impedimentum latum est à Concilio in favorem matrimonii, ne femina invita & repugnans cogatur cum raptoe contrahere matrimonium; jam verò libertati matrimonii non obest illa parentum repugnancia, cujus proinde non meminit Concilium, sed solius puellæ consensus.

Quæst. 123. Num etiam raptus viri factus à femina inducat dictum impedimentum.

R Esp. Si femina rapiat virum nolentem & contradicentem ad ineundum secum matrimonium hoc impedimentum uti & ceteras pœnas à Tridentino statutas non incurri; eò quòd non loquatur nisi de viro raptoe, & decretum pœnale & correctorium extendi non debeat ultra expressâ, tenent Pirh. *l. c. n. 28.* Sanch. *cit. d. 13. n. 16.* sic quoque ait Castrop. *l. c. n. 16.* pœnas illas non extendi ad raptos feminas, quia jus non præsumit violentiam inferendam viro. Addit tamen, quòd, si aliquando viro inferatur violentia, ea stante, non posse consistere matrimonium, secus eâ cessante, tamen si extra potestatem raptricis non sit. De cetero locum quoque in hoc casu, dum nimirum mulier robusta & autoritate pollens causâ matrimonii rapit virum. V. G. adolescentem timidum, esse decreto Tridentini, & incurri verè impedimentum raptus dirimens, tenent absolutè Vinc. de Justis. *de dispens. mat. l. 2. c. 18. a n. 75.* Haunold. *l. c. a n. 549.* quos citat & sequitur Krimer. *n. 522.* eò quòd licet dictum decretum odiosum sit & pœnale loquens solum de raptoe, & non de raptrice, adeoque videatur non extendi ultra expressâ, id tamen locum non habeat, quando ratio legis porrigitur etiam ad non expressâ; in præsentem autem casu ratio legis, quæ est libertas matrimonii, æquè patet in femina rapiente virum, quàm in viro rapiente feminam. Adde, quòd, cum leges non ferantur de iis, quæ rarissimè contingunt, sed solum de frequenter contingentibus; rarissimè autem mulier rapiat virum, ratio esse potuit, cur Tridentinum non expresserit hunc casum. De cetero probabilius esse feminas raptrices istiusmodi non incurere pœnas alias ordinarias raptus, ait Pirh. *ad tit. de raptorib. n. 12.* citatis Claro *§. raptus. n. 6.* Menoch. *de arbitr. cas. 291. n. 30.* Sanch. *d. 12. n. 25.* Addit quoque in genere, Castrop. Concilium Trident. (intellige quòd ad dictam inhabilitatem aliàsque pœnas) locum solum habere in iis locis, ubi receptum; aliàs standum esse juri antiquo *c. fin. de raptorib.* ubi illud statuitur, quòd rapta, etiam adhuc constituta in potestate raptoris, liberè tamen cum eo contrahat, valeat matrimonium.

Quæst. 124. An sicut raptus matrimonium, ita quoque dirimat sponsalia, eaque reddat irrita inter raptorem & raptam.

R Esp. Pari modo sicut matrimonium, ita etiam spons-

sponsalia validè contrahi non possunt inter raptorem & raptam, quamdiu hæc violenter detinetur in illius potestate. Quamvis enim Concilium non loquatur de sponsalibus de futuro, sed solum de matrimonio, adeoque ejus decretum panale quò ad dictam inhabilitatem & irritationem non videatur extendendum ad sponsalia, attamen, cum sponsalia

sint via & preparatio ad matrimonium, hoc prohibito & irritato, prohibentur & irritantur & illa, si eadem prohibitionis ratio sit in utroque, uti est in præsentè, nimirum defectus plenæ libertatis; ita Pich. l. c. n. 29. citatis Nav. l. 5. consil. 4. ad tit. de raptorib. Sanch. cit. d. 13. n. 17.

§. IV. De impedimento erroris.

Quæst. 125. Qualiter error persone præset impedimentum matrimonio.

1. Resp. Primò: Error circa substantiam seu individuum personæ, ut dum quis putans se contrahere cum Maria contrahit cum Anna, jure naturæ reddit contractum matrimonialem nullum; dum enim objectum nempe personam, circa quam versatur, falsò cognoscit, putans esse, quod non est, adeoque reddit incognitum, facit deficere voluntarium circa hoc objectum, & excludit consensum in hanc personam; juxta illud *L. si per errorem. ff. de jurid. omn. jud. error excludit consensum. §. l. 1. c. de falsa caus. adject. errantis nullus est consensus.* & illud (Menochii cons. 279. n. 20. voluntas errantis nihil disponit, & in specie juxta illud *c. unic. 29. q. 1. error persone conjugii consensum non admittit.* Qui tamen consensus jure naturæ necessarius est ad matrimonium, & quidem in determinatam personam propter individuum cum ea vitæ societatem, aliter, ac accidit in aliis Sacramentis & contractibus, quorum valori non obstat, quòd erretur in persona. V. G. dum confirmatur, absolvitur Petrus, confirmante, absolvente putante esse Joannem; dum equus venditur Titio, venditore putante esse Cajum; cum enim in his non spectetur hæc vel illa determinata persona, quam mente concepit, sed solum, quæ præsens est, parumque referat ad Sacramenti validam administrationem intentio ministri, quæ non ad singularem personam, puta Petrum vel Joannem, sed ad eam, quæ præsens est, restringitur. Quòd si tamen minister præter commune Sacramenta administrandi modum merè per accidens hic & nunc sic restringeret intentionem suam ad singularem, quam sibi in mente designavit, personam, pariter de valore istius Sacramenti loquendum ac de matrimonio, in quo erratur in persona. Perinde autem est, si matrimonium redditur invalidum, si error ille in substantia seu persona sit error antecedens consensus (qui est causa, quare consensus habeatur, ut si quis contrahat cum hac persona, quia putat Mariam esse, cum ea non contracturus deposito errore, si seiret non esse Mariam) si sit error concomitans (qui non est causa consensus, sed purè illum concomitatur, ut si quis contrahat cum hac persona, quam putat esse Mariam, contracturus tamen etiam cum ea, & fortè libentiùs, si non esset Maria, sed Anna; uterque enim hic error facit, ne ad sit actualis consensus in personam, quam quis falsò putat esse eam, quam sibi animo designavit. Ita Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 2. num. 1. & ex eo Krimer. l. c. num. 1072.

2. Resp. secundo: Error circa qualitatem. V. G. Virginitatem, nobilitatem, divitias, fecunditatem, pulchritudinem &c. etsi sit antecedens, seu dans causam matrimonio, aliàs non contrahendo, si error ille non intercessisset. V. G. dum sic contrahitur: duco te in uxorem, quia puto te esse nobilem, non ducturus te, si scirem te non esse nobilem; non

reddit matrimonium irritum. Laym. l. c. num. 2. dicens esse commune Scholasticorum. Sanch. l. 7. d. 18. num. 18. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 3. §. 7. n. 3. & var. resol. l. 1. c. 5. n. 1. Molin. de just. tr. 2. d. 352. §. illud est. Castrop. tr. 28. d. 4. p. 4. n. 3. citans insuper Gl. in l. à Divo Pio. v. actionem. ff. de ritu nupr. Valent. 2. 2. d. 5. q. 20. punct. 4. §. 2. Gutt. de mat. c. 89. n. 3. & alios plures contra quosdam putantes tale matrimonium non valere in foro conscientie, secus in foro externo; hocque etiam, ut expressè Laym. etsi error proveniat ex dolo alterius contrahentis, simulantis, se esse talibus qualitatibus præditum. Ratio responsionis à priori & ab intrinseco est; quia talis error non impedit consensum requisitum substantialiter, nec tollit voluntarium absolutum & simpliciter; cum dictus consensus consistat in traditione voluntaria tui corporis, quæ non impeditur etsi deceptus sit credens esse nobilem &c. cum illæ qualitates incitant te quidem ad hanc traditionem faciendam, non tamen fuerint materia vel objectum illius. Unde patet talia matrimonia imprimis non esse irrita jure naturæ, sed neque esse irrita jure positivo ecclesiastico, patebit ex jam dicendis. Altera ratio à posteriore desumitur, nimirum à gravissimis damnis & inconvenientiis inde orituris, si talia matrimonia passim ob tales errores & deceptiones tanquam irrita dissolverentur. Quæ etiam est ratio, cur Ecclesia istiusmodi matrimonia irritare noluerit (nullus enim existit canon ecclesiasticus, quo & infirmantur, ut Laym.) etsi fortè potuisset, sic ut irritavit de facto matrimonia ex gravi metu injustè incusso contracta, etsi non minus metus ille quam error causet involuntarium, cum metus ille injustus faciliùs probetur, quam error ille & deceptio; adeoque non ita metus ac error dubia relinquere matrimonia, ac omnia litibus involveret. Laym. num. 2. Castrop. num. 3. Unde jam etiam facile responderetur ad illud adversariorum: contractus, cui error causam dedit, saltem ope Judicis venit irritandus, nimirum, si irritationem suscipere potest; matrimonium autem semel validum rescindi non potest. Similiter ad illud: quòd donatio sit nulla, dum datur Titio non pauperi elemosyna, quia putatur pauper; nimirum donationem illam esse nullam; quia error hic commissus non est in qualitate, sed substantia; cum enim elemosyna sit miseriæ alterius sublevatio, ad ejus substantiam & objectum pertinet vera paupertas, non ficta & simulata.

3. Resp. tertio: Loco limitationis præcedentis quæst. Si tamen contractus habeat expressam & actualem voluntatem non contrahendi cum hac muliere, nisi habeat talem qualitatem. V. G. nisi sit nobilis, matrimonium nullum est, deficiente illa qualitate, non tam ex errore qualitatis, quam ex defectu substantialis consensus, qui non nisi sub conditione præstitus est hoc modo: duco te, si nobilis es, aliàs non duco te. Sanch. cit. d. 18.

d. 18. n. 2. Laym. n. 2. Castrop. n. 5. Gutt. c. 89. n. 6. Idem est, seu non valet matrimonium, dum error qualitatis infert errorem circa substantiam ipsam seu errorem personae, uti contingit, dum per qualitatis aut qualitatum non communium (quales sunt divitiarum, nobilitas) sed singularium individuacionem personae denotantium expressionem seu narrationem persona aliàs ignota describitur seu fit cognita. V. G. si vis contrahere cum primogenita Petri, & offertur tibi Caja, quae non est primogenita Petri, sed fingit se illam esse, aut persuaderis aliunde illam esse primogenitam, contractum cum ea matrimonium nullum est; quia hic iterum deficit consensus, seu quia non habes consensum contrahendi cum hac persona. Laym. Sanch. Gutt. Castrop. h. cit. Secus tamen fore, si dicta Caja tibi prius nota de visu designaretur à te ad matrimonium, quia putas esse primogenitam, cum tamen non sit, nisi fortè haberes actualem intentionem illam non ducendi, si non esset primogenita, ait Laym. l. c.

Quaest. 126. An igitur etiam error circa servilis conditionis qualitatem non dirimat matrimonium.

1. Resp. primò: Error servilis conditionis, licet versetur tantum circa qualitatem personae, ut dum liber cum ancilla vel serva, vel libera cum servo contrahit, ignorans illam conditionem, reddit matrimonium nullum; irritatio hæc habetur c. 2. 3. & ult. de conjug. servor. Ratio autem huius irritationis ab AA. reddi solet ex D. Thom. communiter recepto in 4. d. 36. q. univ. a. 1. nimirum quòd æquum sit, maximè conducens, & tantum non necessarium ad finem generis & mutuum obsequiorum præstationem &c. ut in hoc contractu matrimoniali servetur æqualitas, seu conjuges conferant inter se æqualem corporum suorum potestatem, quæ æqualitas in dicto conjugio servorum cum liberis servari nequit; cum liber plenam sui corporis potestatem det servo, obligetque se ad individuum vitæ societatem, quam tamen servus libero concedere & præstare nequit; siquidem in potestate domini constitutus ejusque obsequiis & negotiis diu nocturne occupari potest, in terras longinquas mitti quin & vendi, non obstant matrimonii vinculo, ut constat ex c. 1. de conjug. servor. adeoque impeditur frequentissimè reddere debitum conjugii, ejus obsequiis assistere, vacare educationi prolium &c. Unde etiam desumitur ratio, cur potius irritatur matrimonium ex errore hujus qualitatis, quàm ex errore aliarum qualitatum.

2. Extenditur responsio, vel potius ex ea deducitur, quòd liber detecto errore seu servitute, auctoritate propria recedere possit, si absit scandalum; et si regulariter, dum matrimonium, publicè contractum, & de eo constat, addit scandalum, adeoque separatio fieri non debeat sine iudicio Ecclesiæ. Gutt. c. 90. n. 11. Ponc. l. 9. c. 43. in fine. Quin etiam servus possit, renuente etiam libero, recedere; cum ex parte utriusque contractus sit nullus; nisi fortè ex tali contractu & deceptione liber passus damnum, cui aliter servus satisfacere nequit, quàm matrimonium ratificando. Castrop. cit. d. 4. p. 5. §. 1. n. 4.

3. Limitatur è contra responsio à Sanch. l. 7. d. 19. n. 4. Coninck. d. 3. d. 2. n. 26. ut error conditionis servilis non reddat matrimonium irritum, si mancipio promissà à domino libertas intra breve tempus, V. G. sex menses; eò quòd videantur cessare rationes, ob quas aliàs tale matrimonium irritatur, & moraliter reputari debeat matrimonium cum li-

bera. Contrarium tamen probabilius censent Ponc. l. 7. c. 43. n. 1. Gutt. c. 90. n. 6. quibus favere videtur Castrop. l. c. p. 5. §. 1. n. 4. eò quòd textus absolute irritent matrimonium liberi cum mancipio ignorata servitute ob deceptionem, quam in eo patitur liber, & involuntarium, quod tali contractui inesse præsumitur. Illud tamen certum, ut Castrop. esse dicunt hi AA. contra Sotum Ledesin. &c. valere matrimonium, si contrahatur cum ea, cui concessa libertas pro aliquo determinato tempore; quia absolute contrahitur cum libera; præterquam quòd libertas concessa pro quocumque tempore est perpetua. l. libertas. junct à l. ideo statim. de manum. testam. contrarium tamen expresse habet Pirh. ad tit. de conjug. servor. citans Sanch. d. 19. n. 2. nimirum esse tale matrimonium nullum, dum libertas concessa ad biennium, ut eo elapso, rursus servus in pristinam servitute redigatur; eò quòd talis maneat revera servilis conditionis, & quiddid interea agit, agat ut servus. Illud etiam certum juxta cit. c. 2. de conjug. serv. matrimonium tale invalidum ex errore servilis conditionis fieri validum, si liber post scientiam servitutis cognoscat carnaliter servam. Verum, ut Pirh. l. c. n. 5. cum Barbol. in cit. c. 2. & aliis apud illum quia post Trid. sess. 24. de mar. c. 1. non sufficit ad matrimonium consensus præsumptus, qualis habetur per subsequentem copulam, nisi post sublatum impedimentum novus consensus coram Parocho & testibus interveniat, non habebit locum quòd ad hanc partem cit. c. 2. in locis, in quibus Trid. receptum; adeoque talis postquam cognito errore eam cognovit, adhuc compelli non poterit, ut eam tanquam uxorem maritali affectu tractet.

Quaest. 127. An ergo etiam invalidum sit matrimonium ex errore servilis conditionis contractum in iis casibus, dum per ipsum matrimonium servus evadit liber.

Resp. In hoc non convenite AA. negant Sanch. l. 7. d. 20. n. 14. & alii cum Gl. inc. fin. de conjug. servor. eò quòd expresse approbetur in Auth. de nupt. coll. 4. ubi: *Non erit justum tale non constare conjugium;* & tale conjugium dici non possit liberi cum servo; cum eo ipso destinatus esse servus, & ea servitus, quæ per matrimonium tollitur ejus bonis obesse non possit, quæ est sola ratio, cur conjugia liberi cum serva irritentur. Affirmant è contra Gutt. c. 91. n. 16. Covar. in 4. decret. p. 2. c. 7. n. 1. Castrop. l. c. §. 3. n. 5. eò quòd Jus canonicum absolute matrimonium liberi cum serva servitutis ignari irritet ob defectum voluntarii, quem liber habere censetur; in præsentem verò casu verè fit matrimonium liberi cum serva; cum servus, ut libertatem consequatur, debeat prius contrahere, adeoque hic contractus fit stante formaliter servitute. Atque ita tota ratio Castropalai consistit in hoc, quòd matrimonium tale sit naturè prius libertate, & pro hoc priori fit contractus liberi cum mancipio. Ad textum verò Auth. respondet Castrop. in eo decisum non esse, valere tale matrimonium, sed justum esse, ut valeat, nimirum deinceps, dum postmodum consenserint; quia tunc sublato impedimento per ipsum matrimonium justum est, illud constare. Ad illud, quòd non obstat matrimonium tale illius bonis, dicit, non irritari ex eo matrimonia contracta, & pro errore servitutis, quòd aliquantè obstant bonis illius; aliàs enim, ut dictum, deberent irritari contracta cum scientia servitutis, sed ob deceptionem libero factam & involuntarium illius consensum; quorum utrumque in præ-

præfente casu reperitur in tali contractu, & talis contracturus non fuisset, si veritatem scivisset. Sed quid, si scivisset servitutem per ipsum matrimonium tolli, quid eum deteruisset ab eo, nisi forte turpe existimasset etiam illum ducere, quæ antea antea serva fuisset.

Quæst. 128. Quo iure error conditionis irritet matrimonium.

1. **R** Esp. In hoc quoque non convenire AA. Juri naturali, vel saltem juri gentium adscribunt Sylv. v. matrimonium. 6. q. 1. Angles. in florib. 4. sentent. p. 1. super dist. 36. quæst. de error. condit. n. 1. du. 1. apud Laym. l. c. n. 3. qui & ipse in hanc sententiam inclinare videtur, & probabilem satis dicunt Sanch. n. 15. Castrop. n. 2. idque (quod spectare videtur jus naturale) ob rationes adductas; nimirum quia status servilis repugnat bonis & fini matrimonii, secus, ac contingit in leprosis, bannitis, relegatis, qui etsi & ipsi liberè nequeant vacare usui matrimonii, id tamen contingat per accidens. Ad hæc, sacris canonibus videatur hoc impedimentum non de novo inductum, sed quod antea receptum erat, approbatum sit, ita ut, quod ait Laym. non sine verisimilitudine dici possit, errore illo servilis conditionis jure gentium infirmari matrimonium.

2. E contra quamvis juri naturali valde conforme sit, ut talis error dirimat matrimonium, non esse tamen hoc jure irritum, sed solo jure ecclesiastico, quamvis antiquissimo irritatum, sentiunt Sanch. l. c. n. 16. Gutt. l. c. n. 1. Con. du. 2. concl. 1. Castrop. n. 3. Pirh. l. c. n. 8. quam sententiam inter AA. magis receptam, ait Laym. Ratio hujus sententiæ est, quod quamvis contrahens ex errore servitutis aliquo modo & secundum quid involuntariè contrahat, in quantum si conditionem servilem præficeret, non contraheret (uti etiam accidit in errore circa qualitates alias) simpliciter tamen & absolutè talis contractus sit voluntarius; quia simpliciter in hanc determinatam personam consentit, adeoque est verus & validus contractus, spectato solo jure naturæ. Ad hæc ex jure naturæ provenire nequit dicta irritatio, quia talis error obstat bonis matrimonii; cum alias etiam servitus non ignorata redderet matrimonium irritum; neque quia per deceptionem illam facta injuria homini libero; cum deceptio illa non sit facta in substantia contractus, quæ consistit in mutua traditione corporum ad usum conjugalem, quæ etiam in contractu liberi cum servo reperitur, licet traditio illa facta à servo non sit ita plena ac expedita, sicut facta à libero; non enim exinde destruitur essentia matrimonii, ut quæ solum requirit, ut conjux alteri reddat debitum, individuum cohabitaret &c. quoties legitime impeditus non fuerit, uti hæc patent in matrimonio sani cum leprosa; quod tamen simile, ait Laym. juxta dicta ab eo ante, non tenere; cum servitus per se sit status quidam stabilem obligationem continens, quæ obligationi matrimoniali suapte natura non parum detrahit. Qualem obligationem stabilem usui matrimoniali contrariam, quia non continent alia qualitates, sed tantum per accidens, cum usum non impediunt, errorque circa illas sit varius & multiplex, non fuerit expediens, passim matrimonium ex eo errore irritari. Ex quibus jam etiam infertur juxta priorem sententiam, ut rectè Laym. dicendum matrimonium inter infideles contractum ex errore conditionis servilis irritum esse, & posse deceptum, dum errorem cognovit, ad alias nuptias transire. Contrarium verò dicendum, si solo jure ecclesiastico irritarentur

illa matrimonia, utpote cui infideles non subjeti. Pirh. l. c. n. 9.

Quæst. 129. Cui incumbat onus probandi conditionem servilem cognitam esse vel ignoratam, ut matrimonium contractum inter servum & liberam validum vel irritum declaretur.

R Esp. Probabilius videri id onus incumbere mancipio. Sanch. L. 7. d. 19. n. 8. Gutt. c. 90. n. 14. Castrop. n. 8. Pirh. l. c. n. 13. cum Abb. in c. fin. de conjug. servor. n. 6. Jo. And. ibid. n. 3. Butrio. n. 6. Et contra Henric. L. 11. de mat. c. 10. n. 5. Ratio est, quod cum jure ipso irritum sit tale matrimonium ob inæqualitatem contrahentium, ut dictum, allegans hanc inæqualitatem, habeat suam intentionem de nullitate matrimonii in ipsa lege fundatam, à quo dimoveri nequit, nisi probetur, liberè & cum scientia dictæ inæqualitatis contraxisse. Ad hæc, scientia alieni facti nunquam præsumitur, sed potius ignorantia. Reg. præsumitur ignorantia. de reg. jur. in 6. L. varius ff. de probat. Mascard. concl. 1214. n. 5. adeoque cum præsumptio ignorantie servitutis sit pro libero (nisi forte tempore contractus fuisset in loco, in quo servitus conjugis omnibus nota) mancipio incumbit probatio scientiæ; ita ferè Castrop. Sed neque semper alleganti ignorantiam incumbit probatio, ut Masc. de prob. vol. 2. concl. 279. sed tantum, ubi illa ignorantia non præsumitur.

Quæst. 130. An cessante hoc errore servilis conditionis, si liber sciens servam cum ea contrahat; vel etiam dum liber contrahit cum libera, quam putat esse servam, valeat matrimonium.

1. **R** Esp. Ad primum: esse hoc matrimonium validum non minus, quam cum servus cum serva contrahit; quia cessat deceptio facta libero, & præsumptio consensûs involuntarii, ob quæ matrimonium liberi cum serva irritatur, Laym. n. 3. Castrop. n. 9. Sanch. L. 7. d. 19. n. 13. juxta c. 2. de conjug. servor. Unde si qui textus contrarium habere videantur, intelligendi, supposito errore, seu ignorantia dictæ conditionis; quin & addit Castrop. cum Sanch. n. 14. & Gutt. n. 24. nullum committi peccatum contrahendo cum serva; quia id nullibi prohibetur, tamen si fiat irregularis arg. textus in c. si quis viduam. dist. 34.

2. Resp. Ad secundum: pari modo valere matrimonium in eo casu; error siquidem conditionis servilis tunc tantum vitiat matrimonium, quando per illum redditur deterior conditio contrahentis, uti fit, cum quis contrahit cum serva putans esse liberam; non verò dum contrahit cum libera, quam putat esse servam; unde etiam, dum servus contrahit cum ancilla, quam putat esse liberam, valet matrimonium; cum conditio servi contrahentis non fiat per hoc deterior; quia contrahit cum aequali seu suæ conditionis; ita Pirh. l. c. n. 6. cum Sanch. l. c. n. 23. & aliis.

De cæteris impedimentis matrimonii dirimentibus agit in sequentibus specialibus titulis hujus Lib. 4. ad quos quoque commodius referuntur impedimenta dirimentia cætera, quæ propriis carent titulis, & hic omissa, puta impedimentum atatis ad tit. 2. impedimentum criminis ad tit. 7. impedimentum ligaminis ad tit. 21.

TITU-